


PETRI ABAELARDI

HYMNARIUS PARACLITENSIS

PETRI ABAELARDI

PERIPATETICI PALATINI

HYMNARIUS PARACLITENSIS

SIVE HYMNORUM LIBELLI TRES

Ad fidem codicum Bruxellensis et Calmontani

Edidit

GUIDO MARIA DREVES, S. J.



PARISIIS
APUD P. LETHIELLEUX, EDITOREM
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1891

LEONI GAUTIER,

VIRO DE MUSIS MEDIAE AETATIS
TAM SACRIS QUAM PROFANIS
APPRIME MERITO,

SACRUM ESSE VOLUIT
EDITOR.

PETRI ABAELARDI HYMNARIUS

PROLOGEMENA.

Petri Abaelardi hymnos et numero auctiores et forma castigatiores edituro pauca mihi de his videntur praefanda. Mitto equidem Abaelardi vitam casusque varios, de quibus copiose multi, non pauci apte lucideque scripserunt, aliis tamen in alias, prout res ferre solent, partes abeuntibus. Quorum librorum libellorumque is est numerus eaque diversitas, ut ne catalogum quidem eorum omni ex parte absolutum nisi magno labore conscripseris [1]. Ac de gestis quidem Abaelardi eo

1. Plurima congessit U. Chevalier in libro : *Répertoire des sources historiques*, p. 2, s. v. Abailard et in ejusdem operis Supplemento, p. 2374. Obiter tamen cum haec inspexissem, desideravi ex antiquis auctoribus, qui de Abaelardo scripserunt, **Berengarii** Apologeticum et **Ottonis Frisingensis** libros de gestis Friderici, I, 47; inter editores praeter **Reinwald**, qui 1825 Epitomen theologiae Christianae, 1831 Dialogum inter philosophum Judaeum et Christianum, utrumque Berolini vulgavit, **Hencke et Lindenkolb**, Petri Abaelardi Sic et Non, Marbugi Cattorum 1851 ; ex recensioribus : **Lewald**, de operibus Petri Abaelardi. Heidelbg. 1839; **Bornemann**, Anselmus et Abaelardus sive initia scholasticismi. Hafniae 1840; **Boehringer** Peter Abaelard, Stuttgart, 1878. **Deutsch**, Peter Abælard, ein kritischer Theologe des 12. Jahrh. Leipzig 1883. **Hefele-Knoepfler**, Conciliengesch. 2 Aufl. V, 358 sqq. 457 sqq. **Bach**. Dogmengesch. d. MA. 1875. II, 41-88. **Prantl**, Gesch. d. Logik 1861. II, 160 sqq. **Uberweg**, Gesch. der Philosophie 5. Aufl. II, 145 sqq. **Reuter**, Gesch. d. religiœsen Aufklærung im MA. I, 183 sqq. **Denifle**, Archiv für Literatur und Kirchengesch. d. MA, I, 403. **Goldhorn**, Zeitschrift für hist. Theol. 1866, 163. **Bittcher**, in Kahnis Zeitsch. f. hist. Theol., 1869

magis tacendum esse persuasum mihi habeo, quod eruditissimos quosque nulla alia vita plus ea incendi abripique existimo, quam ipse de se Abaelardus data ad amicum quendam epistola conscripsit, quamque historiam calamitatum suarum appellare consueverunt. Mitto praeterea cum vitae gestis libros ab eo compositos omnes nihil hoc loco praeter hymnorum ejus carmina adtacturus.

Et scripsisse se hymnos ipse Abaelardus nobis testis est. In epistola enim ad Heloissam nuncupatoria, quam sermonum libro praefationis instar praemisit, mentionem ingerit de libello quodam hymnorum a se nuper precibus ejus consummato. Plurimam vero maximaque cum existimatione in condendis modulisque exornandis carminibus eum operam collocasse cum suo ipsius tum Heloissae uxoris testimonio comprobatur. Haec enim illa in epistola ad conjugem (inter epistolas Abaelardi secunda) : « Quae regina vel praepotens femina gaudiis meis non invidebat vel thalamis? Duo autem, fateor, tibi specialiter inerant, quibus feminarum quarumlibet animos statim allicere poteras, **dictandi**[1] videlicet et **cantandi** gratia. Quae ceteros minime philosophos assecutos esse novimus. Quibus quidem quasi ludo quodam laborem exercitii recreans philosophici, pleraque amatorio metro vel rhythmo composita reliquisti carmina, quae prae nimia suavitate tam **dictaminis** quam **cantus** saepius frequentata, tuum in ore omnium nomen incessanter

---

315 sqq; 1870, 3 sqq. Nuperrime ex officina Herderiana prodiit R. Stoezle, Abaelards 1121 zu Soissons verurteilter Tractatus de unitate et trinitate divina. Freiburg, 1891.

1. Dictamen medii aevi scriptoribus idem omnino ac carmen, dictare idem ac versus concinnare.

tenebant, ut etiam illiteratos melodiae dulcedo tui non sineret immemores esse. Atque hinc maxime in amorem tui feminae suspirabant. Et cum horum pars maxima carminum nostros decantaret amores, multis me regionibus brevi tempore nuntiavit et multarum in me feminarum accendit invidiam ». Cum quibus ea omnino conveniunt, quae in historiae calamitatum suarum capite VI ipse de se Abaelardus fatetur : « Taediosum mihi vehementer erat ad scholas procedere vel in eis morari, pariter et laboriosum, cum nocturnas amori vigilias et diurnas studio conservarem. Quem etiam ita negligentem et tepidum lectio tunc habebat, ut jam nihil ex ingenio sed ex usu cuncta proferrem, nec jam nisi recitator pristinorum essem inventorum, et, si qua invenire liceret carmina, essent amatoria non philosophiae secreta. Quorum etiam carminum pleraque adhuc in multis, sicut et ipse nosti, frequentantur et decantantur regionibus, ab his maxime, quos vita similis oblectabat ».

Sed celeberrimis hisce carminibus, proh dolor! posteritas, antiquitatis incuriosa prius, post avida, injuria temporum ex integro est fraudata. Nihil enim, si carmen Astralabii commonitorium excipias, nisi sex planctus novimus, quae post Greithium [1] nuperrime Gulielmus Meyer Spirensis nitida editione vulgavit [2]. Neque multum abfuit, quin fata sinistra et hymnos ad unum omnes e medio tulissent. Jam enim, qui ineunte saeculo decimo septimo ad manus erant Amboesio editionem operum Abaelardi ac Heloissae paranti, iidem

1. Spicilegium Vaticanum. Frauenfeld, 1838 p. 123 sqq.

2. Petri Abaelardi Planctus virginum Israel super filia Jeptae Galaditae. Monachii 1885; Petri Abaelardi planctus I. II. IV. V. VI. Erlangen, 1890.

deperditi, a Clément plangebantur et inter ea, quae desiderarentur, Petri monumenta connumerabantur [1], cum primus duce fortuna in codicem Bruxellensem 10158 incidens Oehlerus in nonaginta tres hymnorum Paraclitensium impegisse nasum gratularetur. Post Oehlerum pauca ex eodem codice publici juris fecerunt E. Gachet [2] et E. du Méril [3], omnes tamen ex ordine hymnos primus ex Oehleri apographo cum codice iterum collato edidit Victor Cousin [4]. Quem postea secutus est clarissimus Pitra e religiosa Solesmensium familia, qui Bruxellis aliquamdiu commoratus novam eamque in quibusdam paulo accuratiorem editionem instruxit, quae Patrologiae cursus completi tomo 178 inserta est. Omnes tamen uno Codici Bruxellensi innitebantur, quem nec vitiis carere nec omnes omnino hymnos complecti nemo erat, qui ambigeret. Post nonaginta tres enim, de quibus monuimus, hymnos quarti in fine voluminis initia reperiuntur; in praefatione vero tertii libelli hymnorum (totidem enim seriebus et quasi quibusdam capitibus distincti sunt) quinque se de cruce hymnos condidisse auctor testatur, quatuor tantum vel tribus in codice deprehensis.

Quae cum ita sint, mirum certe videbitur, neminem adhuc alteri, qui horum hymnorum numerum haud spernendum continet, codici in bibliotheca Calmontana asservato studium applicuisse. Idque eo magis,

1. Histoire littéraire de la France, XII, 135.

2. Notice sur un manuscrit de la bibliothèque royale. Compte-rendu des séances de la commission royale d'histoire, t. V, p. 130 sqq. Bruxelles 1842.

3. Poésies populaires latines du moyen-âge. Paris, 1847, p. 439 sqq.

4. Petri Abaelardi opera, hactenus seorsim edita, nunc primum in unum collegit... V. Cousin adjuvante C. Jourdain. Parisiis, 1849 et 1859.

quod notitia codicis a viris doctis non erat admodum remota. Jam enim anno hujus saeculi 55, sat accuratam codicis descriptionem J. Carnandet, bibliothecae Calmontanae custos in lucem dederat [1] et anno 1878 Leo Gauthier in opere, quod de carmine apud Gallos epico conscripsit, magnam in Breviario Paraclitensi hymnorum copiam ineditorum latere, palam monuerat [2]. Unde cum anno proxime elapso, ut Analectis hymnicis silvam pararem, celebriores Galliarum bibliothecas inviserem, Calmontanam non praetermisi. Cumque evolventi codicem numerus hymnorum haud spernendus se offerret, pro benigna, qua A. Martin, bibliothecae illius custos, pollet comitate, ut codex Parisios transmitteretur, nullo negotio obtinui. Ibi perscrutato in omnem partem codice, operae pretium facturum me esse intellexi, si non eos solum hymnos, qui adhuc in lucem non prodierant, sed omnes omnino denuo ederem. Quod quo melius fieret et codicem Bruxellensem iterum nec sine fructu contuli.

Codex Bruxellensis (N° 10147-10158) membraneus foliorum 96, in fine mancus, altus 15,5, latus 11,5 cm., ex eorum genere, quos codices mixtos (Gallice recueil) vocamus, non uno scriptore usus est, inter quos nullus saeculo XIII posterior. Inde a folio 81 usque ad finem, manu saeculi saltem XIII in. exarati, nullis inscriptionum titulis distincti, hymni currunt nonaginta tres, in tres libros totidem praefatiunculis divisi, quorum primus feriales, alter hymnos de tempore, quos vocant, tertius

1. Notice sur le Bréviaire d'Abailard, conservé à la bibliothèque de Chaumont (Haute-Marne). Paris, 1855.

2. Les épopées Françaises, I, p. 312 « Un grand nombre de rythmes inédits d'Abailard se trouvent dans le bréviaire du Paraclet, qui est conservé à la Bibliothèque de Chaumont (Haute-Marne) ».

carmina festis sanctorum destinata complectitur. Accuratiorem codicis descriptionem si desideres, exstat in libro, cui titulus: *Compte rendu des séances de la commission royale d'histoire*, tome V, p. 130 sqq.

Codex Calmontanus membranaceus est, foliorum 245, altus 18, latus 13, 5 cm., saeculo aut XV ex. aut XVI in. scriptus. Breviarium est, non tamen integrum, sed diurnale quod vocant, ad usum Paraclitensem accommodatum. Codex licet spectandae antiquitatis non sit, rei tamen hymnariae studioso maximae est utilitatis. Ad aetatem enim quod attinet, etsi sexto decimo demum saeculo scriptum judices, non tamen illico spernendus. Longius enim vel antiquissimi Demosthenis, Ciceronis, Horatii, aliorum quos novimus codices ab eorum auctoribus absunt, quam ab Abaelardo saeculo duodecimo florente codex sejungitur Calmontanus. Qui, cum rara quaeque cara censeantur, vel ideo multo pretiosior, quod nullum omnino praeter hoc unum rei liturgicae Paraclitensis monumentum ad nostra usque tempora pervenit. Nulli enim Missali, Breviario nulli seu manu seu prelo exarato, nulli omnino Antiphonario nullive Graduali tempus exstinctor pepercit. Deinde, licet huic quoque codici menda hinc inde non pauca adspersa sint, ex toto tamen codici Bruxellensi inferior non est, multaque hujus vitia illius ope de medio tollere mihi licuit. Cujus rei pauca ex multis exempla depromam :

Edidit Pitra in hymmo, qui in sua editione primus est, versu decimo : Non censet illum *imperium*, ubi legendum docemur **impium**; et post duos versus : Quod nec gravat *tandem* nec minuit, ubi legendum : quod nec gravat **dantem** nec minuit. Hymmo apud Pitram decimo **Jota** vel apicem legendum pro *tota* vel apicem ; hymmo XVI : **dici** dominicam pro *diem*

dominicam, **aram** pro *aeram*, quorum **sors** Dominus, pro *fons* Dominus. Hymmo XXX : Omni **fuit** dolore nescius, pro *fuerit* doloro nescius ; hymmo XXXV : **Avis** blanda, mansueta, pro *quae vis* blanda ; hymmo XXXIII : Quod **manavit** oleum, pro quod *mandavit ;* hymno XXXVI : **Qua** per tanta, pro *quia* per tanta ; hymno XXXVIII : Domus **omnis** cum omnibus, pro Domus *dominis* cum omnibus ; hymnus LI : Et **ima** secum traheret, pro et *una* secum traheret ; hymmo LII : **Apostolorum** precibus, pro populorum precibus ; hymno LXI : **Quos vis** una prece, pro *quamvis* una prece : **Jure** quippe matris, pro *aure* quippe matris ; hymno LXIV, **Vires** bellicas, pro *si res* bellicas ; hymno LXVII : **Prote** (πρῶτε) claviger, pro *Forte* claviger ; hymno LXX : Scripturae **textum**, pro scripturae testum ; hymno LXXVIII : Pugnat **totus** mundus, pro pugnat *toris* mundus ; **caecus** hostis, pro *secus* hostis ; **nescit** intus, pro *noscit* intus ; hymno LXXXI : Non pollemus **militum**, pro non pollemus *nostrum ;* hymno XC : Tam virgo quam **martyr** est, pro tam virgo quam *mater ;* **ipsi** decus, pro *Christi* decus ; hymno XCI : In **martyrum** victoriis, pro in *meritum* victoriis ; hymno XCIII : **Hic ut** sponsa foederata **fuerat**, pro *sicut* sponsa foederata *feccrat*. Sed mitto, ne longus sim, ejusdem farinae sexcenta alia, quae non minus modo sententiam tollunt, modo rhythmum perturbant.

Sed non ea tantum, quae ex codice Bruxellensi tenebamus, ut meliora teneremus, Calmontanus effecit, verum etiam, quae nesciebamus plurima huic tamquam unico testi debemus. Imprimis enim docemur, Abaelardi hymnos non solum scriptos ad usum Paraclitensem fuisse sed in usum etiam venisse in eoque usque ad XVI saltem saeculum remansisse. Quid

enim postea, increbrescente per omnem Galliam liturgicarum innovationum prurigine, Paraclitenses egerint, utrum et ipsae novum sibi Breviarum rejecto vetere confici curarint seu aliud e nuper confectis, Cluniacensium forte seu Congregationis S. Hidulphi adoptarint nec ne, equidem indagare non potui, quamvis citra ullam inquisitionem prius longe altero verosimilius. Deinde codice nostro docemur, hymnos Abaelardi non ea lege a monialibus receptos fuisse in Breviarium, ut omnes inde hymnos antiquiores eliminarent. Licet enim hymmarius Abaelardi ita completus sit, ut appareat, voluisse eum omnibus omnino hymnis hymnos suos substituere, tamen in Diurnali Paraclitensi praeter novos vestutiores simul invenimus, prout ex elencho paulo infra subjiciendo patebit. Unde e duobus unum evenisse necesse est : aut, quando primum Heloissa hymnos Abaelardi in usum chori assumpsit, quosdam veteres retinendos esse judicavit, aut horum carminum aliquot, licet ab initio suppressa fuerint, paulatim in Breviarium iterum irrepserunt. Quid vero horum re ipsa contigerit, conjectura assequi non valemus.

Notandum praeterea, quod Diurnale Paracleti hymnos solito plures contineat. Solent enim Diurnalibus non nisi hymni ad Laudes et Vesperas, nulli vero Nocturnorum inseri ; at cum Abaelardus omni festo quatuor hymnos, tribus Nocturnis et Laudibus singulos, ea adsignaverit lege, ut duo priores in unum conjuncti primis, posteriores secundis Vesperis inservirent, omnes festorum hymni in Diurnali ponendi erant, unde fit ut hoc ipsum quoad hymnos festivos (alterum tertiumque hymnorum libellum) ejusdem utilitatis sit ac Breviarum integrum. Continere nequit

hymnos feriales Nocturnorum, sed neque, quo pacto nescio, continet hymnos ad Laudes Vesperasque feriarum. Unde fit, ut in codice Bruxellensi tot fere hymni reperiantur in Calmontano desiderati, quot in hoc insunt carmina, quae in illo frustra quaesiveris. Jam igitur elenchum omnium hymnorum codicis Calmontani inseram, Italicis literis eorum principia distinguens, qui ab Abaelardo confecti non sunt, literis vero paulo majoribus eos Palatini nostri hymnos nobilitans, quos ex uno hoc fonte hausimus.

Conditor alme siderum.
Verbum supernum prodiens.
Vox clara ecce intonat.
Intende qui regis Israel.
Stephani primi martyris
Amore Christi nobilis.
Ad coelestis ortum regis.
Ad lactantum sinus matrum.
Est in Rama vox audita.
Rex tyrannus universos.
Verbo Verbum virgo concipiens.
Dei patris et matris unicus.
Quam beatum stratum hoc straminis.
Gaude virgo virginum gloria.
Nasciturum sive natum.
Angelorum stupent cantum.
Consecrandas intrat aquas
Qui baptismo nobis suo.
Illuminans altissimus.
O quanta qualia.
Universorum conditor.
Advenit veritas.
Octavae titulos.
Aeterne rerum conditor.
Splendor paternae gloriae.
Deus, creator omnium.
Audi, benigne conditor.
Summi largitor praemii.
Deus, pater piissime.
Jam lucis orto sidere.
Nunc sancte nobis Spiritus.
Rector potens, verax, Deus
Rerum Deus tenax vigor.
Christe qui lux es et dies.
Te lucis ante terminum.
Jam surgit hora tertia.
Vexilla regis prodeunt.
Pange lingua gloriosi lauream.
Lustra sex qui jam peracta.
Magnum salutis gaudium
Hymnum canamus Domino.
Haec nox carissimi.
Mercator omnium.
Solus ad victimam.

Noster et omnium.
Damnandus Domine.
Jam hora tertia.
Sexta qua Dominus.
Nona qua vera lux.
Facto jam vespere.
Pias vigilias.
Sexta jam homine.
Dormit hoc triduo.
Leonis catulum.
Ascensus catuli.
Adhuc ut dormiens.
Non naturalis est.
Hic est dies verus Dei.
Christiani plaudite.
Da Mariae tympanum.
Jam lucis orto sidere (2°).
Golias prostratus est.
Veris grato tempore.
In montibus hic saliens.
Quibusdam quasi saltibus.
In terris adhuc positam.
Cum in altum ascenderet.
Optatus votis omnium.
Adventum Sancti Spiritus.
Remissionis numerum.
Tradente legem Domino.
Apostolorum pectora.
Jam Christus astra ascenderat.
O lux beata Trinitas.
Adesto sancta Trinitas.
O pater sancte, mitis atque pie.
Pange lingua gloriosi corporis.
Sacris solemniis.
Verbum supernum prodiens.
Jesu, nostra refectio.
Post Petrum, primum principem.
Deus Dei Verbum.
Mater pietatis.
Mater Salvatoris.
Singularis Mater.
Ave, maris stella.
Agnes beatae Virginis.
Tuba Domini Paule maxima.
Doctor egregie, Paule.
Lucerna posita.
Adorna Sion thalamum.
Qui paupertatem admonet
Parentes Christum deferunt.
Omnis sexus et quaelibet
Agathae sacrae virginis.
Princeps apicis apostolici.
Jam bone pastor, Petre.
Victimam nostrae tibi Christe laudis.
Mysterium Ecclesiae.
Tristes erant apostoli.
Almi prophetae progenies pia.
Apostolorum passio.
Johannis nativitas.
Hujus ortum nuntians.
Senex hunc et sterilis.
Ad parandam Domino.
Peccatricis beatae solemnitas.
Magnum salutis gaudium
Poenitentum severa correptio.
Apostolorum supparem.
Justorum memoriam.
Tu quæ carnem edomas.
Praesens vita fuit his.
Justorum exsequiae.
Aigulphi martyris.
-Scutum Deus omnium.

Pugnant mundi principes.
Turris his Davidica.
Angelorum hominumque.
Mulieris decem dragmas.
Mysteriorum signifer.
Quam felices supernorum.
Quis ut Deus tam virtute.
Urbs beata Hierusalem.
Christe cunctorum dominator.
Ave, praesul, laus praesulum.
O vere Christi militem.
Cum in sanctis Deus sit mirabilis.
Christum rogemus et Patrem.
Traduntur igni martyres.
Sanctorum solemnitas.
Porta coeli siderum.
Communis celebritas.
Eversis altariis.
Exaltent curiae.
Temptavit Satanas.
Bellator armis inclitus.
Quadrigae Christi vehiculum.
Torcular crux est dominica.
Quatuor hæc animalia.
Eunt cum illis euntibus.
Apostolici culmen ordinis.
Regum solia philosophici
Deus tuorum militum.
Aeterna Christi munera.
Jesu corona celsior.
Sponsa Christi tam virgo quam.
Jesu, corona virginum.
Ut aurora consurgens.
Deus qui corpora.

Jam utrum hymni omnes, de quibus ultimo loco diximus, genuini Petri Abaleardi foetus censeri debeant nec ne, paucis discutiendum. Et imprimis quidem, quae remotis hymnis hoc auctore certo aut anterioribus aut posterioribus sacra carmina remanent, unum si excipias, ita in stili, ita in rhythmi rationibus cum genuinis conveniunt omnia, ut ab ipso confecta esse nemo cordatus negaverit. Quod quam sit verum, qui vel solas doxologias, extremis hymnis adfixas, attente considerat, quasi manibus tenebit. Aliud praeterea est, quod ad eandem opinionem confirmandam non mediocriter juvat. Solet enim Abaelardus in hymnis suis haud raro, atque id cum magno ipsi Ambrosio commune est, eadem nonnunquam atque adeo iisdem fere verbis referre in hymnos, quae aliis in scriptis protulerat. Cujus rei exempla habes in hymnis primi libelli

omnibus, quos ex sua in Hexaemeron expositione ita hausit, ut nihil praeter rhythmum videatur addidisse. Aliud exemplum in hymno, qui de sancto Paulo est, occurrit, quem si contuleris cum sermone 24 ejusdem apostoli conversionem commendante, in utroque sanctum cum rhinocerote comparatum invenies. Jam vero similia in hymnis primum hoc loco editis reperire est. Ita septemdecim hymnis (XLII-LVIII) haec communis est doxologia :

Tu tibi **compati** sic fac nos, Domine,
Tuae participes ut simus gloriae,
Sic praesens triduum in **luctu** ducere,
Ut **risum** tribuas paschalis gratiae.

Qua lecta si perlegas, quae in sermone XIII, qui de Paschate est, proponit Abaelardus, dubium esse non poterit ullum, quin idem sit hymni qui et sermonis auctor. Haec enim iste : « Quid igitur mirum, si et biduum illud dominicae passionis ac sepulturae **in luctu compassionis** praecipue ducimus, ut post fletum gratior habeatur **risus** resurrectionis gloria superveniente ». Sed de similibus, cum frequentius occurrant, lectorem rejicimus ad notulas, quibus singulos ex ordine hymnos adspersimus.

Pro aliquibus hymnis alia etiam suppeditant argumenta.

Ita duos hymnos de sancta Magdalena Abaelardi esse vel inde obvium est, quod prioris initia in codice etiam Bruxellensi leguntur, reliquis versibus cum folio 97 avulsis. Inter hymnos de sanctis, quos in codice Calmontano reperimus, singuli sunt de sanctis Dionysio, Aigulpho, Gilda, quos, licet pro hymnario Paraclitensi ab initio scripti non fuerint, ab Abaelardo tamen fac-

tos esse tam est obvium, ut maxima inde praesumptio in reliquorum favorem non possit non creari.

Tribus enim religiosorum familiis scripti sunt, quibus fata Abaelardum immiscuerant. Notum enim ex ipsius vita, eum celebratis cum Heloissa nuptiis nocte quadam suppressum atque resectum, in abbatiam Sandionysianam prope Lutetiam se recepisse ibique professionem emississe, Heloissa Argentolium in sacrarum virginum asceterium commigrante. Ibidem idque aut ante secundum in eandem abbatiam regressum, qui fuit post celebratum anno 1121 Suessionense concilium, aut post secundum ab eadem recessum hymnum de sancto Dionysio composuit. Ab hac enim synodo redux et ex custodia abbatis sancti Medardi dimissus cum in Bedae chronicon incidisset, negare coepit eundem Parisinum Dionysium esse cum Areopagita; hunc enim Beda auctore Corinthiorum, illum actis ejus testantibus Atheniensium episcopum fuisse. Quare cum hymnus noster aperte Dionysium Parisiensem cum Areopagita confundat, aut inter annos 1119 et 1120 confectus sit necesse est, aut forte, cum Privigni degens Abaelardus literis ad Adamum Abbatem datis suas de Areopagita opiniones retractaverat. In usu liturgico Sandionysianorum si unquam fuit, diu certe non remansit. Utebantur isti hymnis, quos laudi Areopagitae a Venantio Pictavensi et Eugenio Toletano scriptos jactitabant.

Suis de Dionysio opinionibus quasi acutissimis quibusdam aculeis ita Abaelardus coenobiarchas monachosque commilitones in odium sui concitaverat, ut tutius sibi duceret furtim e claustro dilapso Trecas ad Theobaldum Campaniae comitem secedere. Ille peripateticum sibi acceptum in prioratu Provinensi abdi-

dit, ubi tamdiu ille latitabat, donec Sandionysiani veniam illi concederent, in quemcunque vellet eremum se recipiendi, modo alteri monasterio nomen non daret. Provini seu Privigni monasterio Cellae Sancti Aigulphi nomen erat (Saint-Ayoul de Provins), eo quod sancti hujus membra ibidem asservarentur, Lirinensibus alterum integrumque ejusdem sancti corpus nihilo secius venerantibus. Unde mirum non est, Abaelardum et sancto et monachis sancto devotis, qui asylum profugo concesserant, hymnum grati sui animi documentum reliquisse.

Postquam Privigno relicto per aliquod tempus in cella Paraclitensi, quam in agro Trecassino fundaverat, scholasticam juventutem undequaque ad pedes ejus confluentem doctrinis excoluisset, circa annum 1126 abbas monasterii Sancti Gildae in Ruia (Saint-Gildas de Ruits) in inferiore Armorica electus est, quam dignitatem usque ad annum ferme 1137 retinuit. Hoc tempore Gildam, cui nomen Sapientis aequales indiderunt, versibus exornasse credendus est. Tres istos hymnos Sandionysianis, Provinensibus, Ruiensibus destinatos, Paraclitenses postmodum moniales pro sua in fundatorem pietate hymnario suo inseruerunt.

Dixeram paulo ante, omnes hymnos Breviarii Paraclitensis Abaelardi et dicendi genus et rhythmorum rationes prae se ferre uno excepto. Is hymnus est CXVIII, qui in Benedicti laudibus versatur. Dum enim omnes reliqui hymni rhythmis decurrunt, iste metricus est. Unde tamquam spurium eum omnino rejecissem, nisi quaedam rationes impedirent, quominus ab Abaelardo confectum pernegem. Certe hymnus, si Abaelardi, non ex eorum est munero, quos ab initio hym-

nario Paraclitensi inserendos destinaverat, sed illis adnumerandus, qui sicut hymni de sanctis Dionysio, Aigulpho, aliis in illud postea irrepserunt. Quo posito, fieri potuit, ut praeter eum, quem in aliis hymnis tenuit modum metricis se legibus auctor adstringeret. Nam quantum carminibus non solum rhythmo sed et metro pangendis par fuerit, carmen ad Astralabium scriptum probat idemque ea forte innuunt, quae ex Heloissae literis supra excerpsimus. Quibus enim Dumerilius rationibus carmen illud tamquam spurium et Abaelardo indignum rejicere conatur, ejus sunt generis, quae in eandem sententiam legentem non alliciant [1]. Deinde doxologia Abaelardi genus dicendi omnino sapit, ejusque ingenium subodorare fortasse licebit in versibus :

Regulam vitae speculumque verae
Philosophiae.

Unde rebus omnibus consideratis Abaelardum auctorem carminis fuisse certo nec affirmari posse nec negari sed in ancipiti videtur relinquendum.

Quodsi ulterius quaeratur, utrum additis codici Bruxellensi hymnis Calmontanis, numerus hymnorum ab Abaelardo conscriptorum completus censeri debeat nec ne, negativae prorsus sententiae inhaerendum. Certe enim hymni de cruce quinque, de quibus jam supra monuimus, quique in Bruxellensi codice non insunt omnes, omnes desunt in Calmontano. Sunt qui praeter partem hymnorum, quae tamen nisi exigua esse non potest, librum sequentiarum integrum deper-

---

1. *Poésies populaires du moyen-âge*. Paris, 1847, p. 430 sqq.

ditum lugeant. Ita Historia Franciae literaria, Pitra, alii. Provocant, qui huic patrocinantur opinioni ad unum omnes in epistola ad Heloissam locum, de quo jam supra dictum et in quo « de libello quodam hymnorum vel sequentiarum » a se composito monet Abaelardus. Sed tantum abest, ut hic locus, quod istis placet, evincat, ut sequentiarum et hymnorum non duos sed unum fuisse librum innuat. Non enim de libro hymnorum **et** sequentiarum, ut perperam isti interpretati sunt, sed de libro hymnorum **vel** sequentiarum illi sermo. Unicum missale Paraclitense seu graduale si ad nostra usque tempora pervenisset, quid rei sit, certius permitteret definire.

Quod vero attinet ad celeberrimam toto medio aevo sequentiam : *Mittit ad virginem Non quemvis angelum*, quam post Jodocum Clichtovaeum praeter alios H. A. Daniel in Thesauro Hymnologico Abaelardo tribuit, ita a genuinis hymnis cum rhythmorum tum ὁμοιοτελεύτων ratione ea dissidet, ut ab Abaelardo facta esse non facile credatur. De altero carmine Heli heli, Deus meus, ab auctoribus Historiae literariae non tamen sine aliqua haesitatione eidem adsignato, non est cur dicam, cum rem definivisse videatur B. Hauréau in Libro « *Les Mélanges poétiques d'Hildebert de Lavardin* », p. 72, sqq.

Jam quid sibi meriti vindicent, quos edituri sumus hymni, videamus. Cui quaestioni ut satisfiat illud imprimis praetermittendum non est, fuisse quidem aliquos, qui libros sequentiarum integros ediderint, ut Notkerum Balbulum, Adamum Victorinum, alios ; neminem vero unquam hymnarium ex integro condere praeter unum attentasse Abaelardum. Ambrosii enim hymni pauciores sunt, quam qui hymnarii nomine

comprehendantur, Hilarii vero hymnorum librum, qui maximam partem deperditus est, usui liturgico destinatum non fuisse satis ex paucis, quae nuper inventa sunt, fragmentis elucet.

Singulos vero hymnos scrutanti facile patebit, non unius omnes esse meriti. Aliqui enim sunt, quos tanto ingenio indignos recte dixeris, cujusmodi sunt hymni de dedicatione ecclesiae. Jejuni enim sunt nec intellectum pascentes nec animum inflammantes. Qui quo pacto in hymnarium irrepere potuerint, vix intelligerem, nisi totus appareret uno veluti tractu compositus, ita ut horas jejunas et ab inspiratione vacuas non praetermiserit poeta. Ex reliquis hymnis alii mediocres sunt, ut omnes fere hymni primi libelli, dominicos et hymnum ad vesperas Sabbati si exceperis; ad praecipientis enim dictionem potius quam ad lyrici carminis impetum accedunt. Sed major longe eorum est numerus in quibus cum ingenio auctoris acri et subtili ingenuae et infucatae inspirationis fervores festive jucundeque permiscentur. Scio equidem non omnes hac in re mecum sentire. Ita Pitra nihil aliud egisse Abaelardum censet, « quam rhythmo qualicunque ligare, quae jampridem ante soluta oratione explicuerant alii ». Sed praeterquam quod in rebus religionis arduum sit, post tot praeclara, quae de iisdem et prosa et versu dixerunt, ingenia nova et adhuc inaudita proferre, tam diversum ab aliis, qui hymnos composuerunt, dicendi genus sectatus est Abaelardus, ut post Adamum Victorinum vix ullum inter omnes medii aevi hymnographos adsignaveris, de quo verius illud *ex ungue leonem* pronuntiare liceat. Sanius mihi ac veritati magis consentaneum videtur, quod de iisdem hymnis judicium tulit Amboesius, « magnam in

eis catholicae pietatis lucem seu legenti seu canenti affulgere », affirmans.

Sed majus etiam poetae nostri meritum ei videbitur, qui non tantum, quae dicat, sed quomodo dicat, consideraverit. Non enim « qualicunque » usus est rythmo sed tam diverso tamque artificioso, ut unus ex primariis auctoribus habendus sit, qui praeclarum illum saeculo duodecimo rhythmicae poeseos florem praeparaverint, excitaverint, propagaverint. Haec acriori ingenio nemo, nemo cura magis assidua est perscrutatus quam Gulielmus Meyer Spirensis, ad cujus opuscula jam supra laudata lectorem rejiciamus necesse est. Haec ille planctum, de filia Jephte editurus: « Abaelard gehört zu den frühesten und kunstreichsten Dichtern dieses Zeitalters » et in opere, quod in ludo de Antichristo exponendo versatur : » Von ihnem scheint mir bis jetzt Abaelard der wichtigste zu sein und ist um so mehr zu bedauern, dass seine Gedichte teils so ungenügend teils noch gar nicht ediert sind. In den kurz vor 1130 für Heloise und ihre Genossinnen gedichteten Hymnen zeigt er grosse Feinheit im Bau der Zeilen, überraschenden Reichtum an verschiedenen Zeilenformen aber ziemlich einfache Strophenformen » [1]. Et paulo post « Schon im Anfange treffen wir bei Abaelard eine Fülle neuer Zeilen und Strophenarten ».

Et certe rhythmorum ac stropharum formas ac varietates si consideraveris, Abaelardo inter omnes, quotquot fuere, hymnologos praecipuum quendam locum

---

1. Der Ludus de Antichristo und Bemerkungen über die lateinischen Rhythmen des XII. Iahrhunderts. Sitzungsberichte der königl. bayer. Akademie der Wissenschaften, 1882, I. Philos. philol. Cl. 1.

concedes. Hymni enim liturgici omnes, paucissimis exceptis, qui latum usum non sunt adepti, iisdem fere metris, Ambrosiano videlicet, tetrametro trochaico, Asclepiadeo tertio, rarissime quarto, jambico senario decurrunt. Atque id propterea, quod plerumque ad modulos musicos alterius hymni, qui condebantur novi adaptarentur. Abaelardus vero e metris hymnorum antiquis, si hymnum de sancto Benedicto utpote dubiae auctoritatis relinquimus, tria tantum admisit, Ambrosianum bis in hymnis de praesentatione Domini et de sancto Dionysio, trochaicum semel in hymnis de angelis, atque metrum illud singulare incertique originis, quod hymno *Ave maris stella* est proprium, semel etiam, in hymnis scilicet Beatae Mariae sacris. Praeter haec quartum occurrit metrum, quod etsi forte ab auctore anteriore in hymnis liturgicis usurpatum non sit, ab ipso tamen Abaelardo inventum esse nequit. De metro dico, quod hymnis primi libelli diurnis, hymnis de triduo sacro deque sanctis Aigulpho, Eustachio, Gilda adhibuit, quodque ex Asclepiadeo derivatum et ad accentuum normam immutatum est. Reliqua metra numero quatuordecim non solum hymnis adhibuit primus, sed invenit etiam, sin minus omnia at certe non pauca. Maxime artem redolent metra hymnorum Paschalis, Pentecostes, Martyrum, Confessorum, Virginum, inter quae primus locus hymnis de Martyribus vel ideo tribuendus, quod formam illam strophicam, quam **Lais** vocant in hymnorum carmina invexerunt; cui formae illud est proprium, quod per seriem stropharum diversarum eodem bis ordine carmen decurrat.

Quae cum ita sint, mirari satis non possum, Abaelardum, quantum in condendis metris omnibus antecellat, tanto in versibus ὁμοιοτελεύτοις adornandis esse

negligentiorem. Dum enim apud Hildebertum Caenomannensem, Petrum Venerabilem, alios duarum syllabarum consonantias in usu esse videmus, Abaelardi versus non nisi in singulas syllabas consonando desinunt. Ubi enim duarum hinc inde syllabarum ὁμοιοτέλευτον intermiscet, id casu non studio egisse putandus est. Nam ne unum quidem hymnum, nae ne unam quidem stropham adsignaveris, in qua id agendo sibi constet.

Atque ut in ultimarum consonantiis syllabarum curandis ita et in rhythmi seu, quod idem est, in accentuum lege servanda negligens forte obiter rem intuenti videbitur. Nescisse eum aut neglexisse prosodiae accentuumque rationes diceres. Reque vera difficile non est, in omni, quem volueris, hymno, quae vitii speciem prae se ferant, adsignare. Exemplo sit secundus, qui de Praesentatione Domini est, hymnus. Ambrosiani metri est et proinde ad normam, quod subjicio, schematis pronuntiandus:

— ⏊́ — ⏊́ — ⏊́ — ⏊

At ipsius primae strophae tertius versus a lege discrepat :

Parentes Christum deferunt,
In templo templum offerunt,
Legi parere voluit,
Qui legi nihil debuit.

In altera vero stropha ne unus quidem versus est, qui aut rhythmi normas aut accentuum leges non violet. Ita enim habet :

Offer, beata, parvulum,
Tuum es patris unicum,

Offer, per quem offerimur,
Pretium, quo redimimur.

Atque haec in omni, ut diximus, hymno observare licet. Ignorasse igitur Abaelardum accentuum leges dicemus? Absit. Si enim ignorasset, ignorasset ubique. Jam vero in omni metro quaedam sunt syllabae, in quibus frustra simile quid seu vitii seu licentiae quaesieris. Ita in metro illud Ambrosiano invenies quidem in versuum dipodia priore, in posteriore nunquam. Scivit itaque Abaelardus et optime scivit regulas accentuum; unde si in altera versuum parte accentus certis syllabis adligat, in priore de syllaba in syllabam migrare permittit, non ignorantiae sed arti id atque industriae tribuendum est. Quare in hymno, de quo supra, versuum schema ad mentem Abaelardi hoc est:

— — — ⊥ — ⊥ — ∟

Atque hanc sibi libertatem non temere vindicat sed consilio. Nam sine illa rhythmi mutatione versus rigidi sunt, vita motuque carent nec ut liberi sed ut servi aut, qui exercentur, milites procedunt. De quibus legas velim, quae praeclare Meyer in libello laudato « Der Ludus de Antichristo » p. 132, sqq. exponit. De singulis vero rhythmis, quibus Abaelardus usus est, in notulis, quae necessaria videbantur, addidimus.

Certum est, Abaelardum hymnos suos musicis quoque modulis instruxisse. Ex una enim parte musices erat peritus, ex altera ii sunt rhythmi hymnorum Paraclitensium, ut paucis quibusdam exceptis, ad melodias hymnorum vetustiorum adaptari nequiverint.

Musices sane antiquae investigatoribus nefastum accidit, quod ad unum omnia Antiphonaria Paraclitensia interierunt. Quid enim luminis hymnarius integer medio fere saeculo duodecimo conditus, ab uno eodemque auctore cantui accommodatus multis rebus non affudisset. Sed exciderunt neque multum abfuit, quin cum cantibus hymni una interirent.

Scribebam in castello Exaetensi, ducatus Limburgensis, a. d. VII. Kalendas Februarias MDCCCXCI.

Guido Maria Dreves, S. J.

PETRI ABAELARDI

HYMNORUM LIBELLUS PRIMUS

COMPLECTENS

HYMNOS FERIALES

PRAEFATIO

Ad tuarum precum instantiam, soror mihi Heloisa, in saeculo quondam cara, nunc in Christo carissima, hymnos Graece dictos, Hebraice tehillim (1) nominatos composui; ad quos quidem me scribendos cum tam tu quam, quae tecum morantur, sanctae professionis feminae saepius urgeretis, vestram super hoc intentionem requisivi. Censebam quippe superfluum me vobis novos condere, cum veterum copiam haberetis et quasi sacrilegium videri antiquis sanctorum carminibus nova peccatorum praeferre vel aequare. Dum autem a diversis diversa mihi responderentur, tu inter cetera talem, memini, subjecisti rationem : Scimus, inquiens, Latinam et maxime Gallicanam ecclesiam, sicut in psalmis ita et in hymnis magis consuetudinem tenere quam auctoritatem sequi. Incertum etenim adhuc habemus, cujus auctoris haec sit translatio, quam nostra et Gallicana (2) frequentat ecclesia. Quam si ex eorum dictis dijudicare velimus, qui translationum diversitates nobis aperuerunt, longe ab universis interpretationibus dissidebit et nullam, ut arbitror, auctoritatis dignitatem obtinebit. In qua quidem adeo longaevae consuetudinis usus jam praevaluit, ut, cum in ceteris correcta beati Hieronymi teneamus exemplaria, in psalterio, quod maxime frequentamus, sequamur apocrypha (3).

Hymnorum vero, quibus nunc utimur, tanta est confusio, ut, qui quorum sint, nulla vel rara titulorum praescriptio distinguat; et si aliqui certos auctores habere videantur, quorum primi Hilarius et Ambrosius exstitisse creduntur, deinde Prudentius et plerique alii, tanta est frequenter inaequalitas syllabarum ut vix cantici melodiam recipiant, sine qua nullatenus hymnus consistere potest, cujus descriptio est laus

Dei cum cantico. Plerisque etiam solemnitatibus addebas deesse proprios hymnos, utpote Innocentum et Evangelistarum seu illarum sanctarum, quae virgines vel martyres minime exstiterunt.

Nonnullos denique asserebas esse, in quibus nonnunquam hos, a quibus decantantur, mentiri necesse sit, tum videlicet pro temporis necessitate, tum pro falsitatis insertione. Casu quippe aliquo vel dispensatione eo modo saepius praepediti fideles constituta horarum tempora vel praeveniunt vel ab ipsis praevenientur, ut de ipso saltem tempore mentiri compellantur, dum videlicet aut nocturnos die aut diurnos nocte hymnos decantant. Constat quippe, secundum propheticam auctoritatem et ecclesiasticam institutionem nec a laude Dei noctem ipsam vacare, 'sicut scriptum est : *Memor fui nocte nominis sui domine* (4) et iterum : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (5) hoc est ad laudandum te ; nec septem reliquas laudes, de quibus idem meminit propheta : *septies in dii die laudem dixi tibi* (6), nisi in die persolvendas esse. Quarum quidem prima, quae matutinae laudes appellantur, de qua in eodem scriptum est propheta : *In matutinis, domine, meditabor de te* (7), in ipso statim diei initio illucescente aurora seu lucifero praemittenda est ; quod etiam in plerisque distinguitur hymnis. Cum enim dicit : *Nocte surgentes vigilemus omnes* (8) et iterum : *Noctem canendo rumpimus* (9) vel : *Ad confitendum surgimus morasque noctis rumpimus* (10) et alibi : *Nox atra rerum contegit terrae colores omnium* (11) vel : *Nam lectulo consurgimus noctis quieto tempore* (12) et rursum : *Ut quique horas noctium nunc concinendo rumpimus* (13) et similia : ipsi sibi hymni quod nocturni sunt, testimonium praebent. Sic et matutini seu reliqui hymni proprii temporis (14), quo dicendi sunt institutionem nonnunquam profitentur, verbi gratia cum dicitur : *Ecce jam noctis tenuatur umbra* (15) et iterum : *Lux ecce surgit aurea* (16) vel : *Aurora jam spargit polum* (17) seu : « *Aurora lucis rutilat* (18) et alibi : *Ales diei nuntius lucem propinquam praecinit* (19) vel : *Ortus reful-*

get lucifer (20), et si qui sunt hujusmodi, ipsi nos instruunt hymni, quo tempore sint cantandi, ut, si eis videlicet sua tempora non observemus, in ipsa eorum prolatione mendaces inveniamur. Hanc tamen observantiam non tam negligentia plerumque tollit quam necessitas aliqua vel dispensatio praepedit; quod maxime in parochialibus seu minoribus ecclesiis propter ipsas plebium occupationes quotidie fieri necesse est, in quibusomnia et fere continuo peraguntur in die. Nec solum tempora non observata mendacium ingerunt, verum etiam quorundam hymnorum compositores, vel ex proprii animi compunctione alienos pensantes, vel improvidae studio pietatis extollere sanctos cupientes, in aliquibus ita modum excesserunt, ut contra ipsam nostram conscientiam aliqua in ipsis saepius proferamus tamquam a veritate prorsus aliena. Paucissimi quippe sunt, qui contemplationis ardore vel peccatorum suorum compunctione flentes ac gementes illa digne valeant decantare : *Preces gementes fundimus, dimitte quod peccavimus* (21) et iterum : *Nostros pius cum canticis fletus benigne suscipe* (22) et similia, quae sicut electis ita paucis conveniunt. Qua etiam praesumptione singulis annis decantare non veremur : *Martine, par apostolis* (23) vel singulos confessores immoderate de miraculis glorificantes dicamus :

Ad sacrum cujus tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet modo fuerint gravati,
Restituuntur (24),

discretio vestra dijudicet. His vel consimilibus vestrarum persuasionibus rationum ad scribendos per totum anni circulum hymnos animum nostrum vestrae reverentiae sanctitas com pulit. In hoc itaque mihi vobis supplicantibus, sponsae Christi vel ancillae, et nos e converso vobis supplicamus, ut, quod nostris onus imposuistis humeris, vestrarum orationum manibus sublevetis, ut, qui seminat et qui metit, simul operantes congaudeant.

PARS PRIOR

Hymni Nocturnales.

I

DOMINICA AD MATUTINUM.

In primo Nocturno.

1. Universorum conditor,
Conditorum dispositor,
Universa * te laudant condita,
Glorificant * cuncta disposita.

2. Instrumento non indigens
Neque thema discutiens
Solo cuncta * comples imperio,
Dicis : fiant, * et fiunt illico.

3. Auctor es praestantissimus,
Omnipotens non aemulus,
Tantum ergo, * quae facis omnia,
Quantum decet, * facis eximia.

4. Cujus enim judicium
Non censet illum impium,
Qui commodum * scienter subtrahit,
Quod nec gravat * dantem nec minuit.

5. Fit ergo mundus optimus
Ac perfectus in omnibus
Fit pondere, * mensura, numero,
Ne vacillet * in quoquam ratio.

6. Opus dignum opifice,
Pulchrum, indissolubile,
Ad exemplar * fit perfectissimum
Instar cuncta * concludens optimum.

7. Nec minore disponitur
Bonitate quam conditur,
Quidquid male * gerit iniquitas,
Summa bene * disponit aequitas,

8. Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt, quae sunt, omnia ;
Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent,
Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

II

In secundo Nocturno.

1. Deus, qui tuos erudis
   Testamentorum paginis,
   Ex eorum * intelligentiae
   Cantus nostros * condis dulcedine,

2. Tibi sit acceptabile,
   Nobis sic fiat utile,
   Quod te suis * solvemus laudibus,
   Si, quod sonat, * intellexerimus.

3. Triplex intelligentia
   Diversa praebet fercula,
   Deliciis * abundat variis
   Sacrae mensa * scripturae fertilis.

4. Alunt parvos historica,
   Pascunt adultos mystica,
   Perfectorum * ferventi studio
   Suscipitur * moralis lectio.

5. Illis fides adstruitur,
   Ex hac fructus colligitur,
   Fructus hic est * et consummatio,
   Quam des nobis, * morum instructio.

6. Haec nobis, Deus, fercula
   Tua paravit gratia,
   Ut his nostra * peregrinatio
   Sustentetur * quasi viatico.

7. Sit perpes Deo gloria,
   Ex quo sunt, quae sunt, omnia,
   Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent,
   Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

III

In tertio Nocturno.

1. In ortum mundi sensilis
Mundus intelligibilis
Coelo simul * et terra condito
De divino * jam prodit animo.

2. Coelum mox spiritalibus
Redimitum est civibus,
Haec auctorem * suum laudantia
Matutina * sunt illa sidera.

3. Tellus inanis vacua
Latebat aquis obsita,
Ac facies * profundi gurgitis
Caligabat * obductis tenebris.

4. Aquae fovens vivificus
Jam incumbebat spiritus,
Ut hinc aquae * jam tunc conciperent,
Unde prolem * nunc sacram parerent.

5. Mundi quoque primordia
Lucis venustans gratia,
Dixit Deus : * Sit lux, et facta est,
A tenebris * inde divisa est.

6. Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt, quae sunt, omnia,
Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent
Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

IV

Feria secunda.

Ad Matutinum.

1. In coaeterno Dominus
   Verbo dixit altissimus :
   Firmamentum * sit interpositum,
   Ut dividat * aquarum medium.

2. Dictum effectus sequitur,
   Abyssus intercedilur,
   Jacentibus * aquis inferius
   Suspenduntur * aquae superius.

3. Quibus has aquas usibus
   Reservat, novit Dominus,
   Constat autem, * et haec et cetera
   Nobis esse, * non sibi condita.

4. Nostris necessitatibus
   Providetur in omnibus,
   Pro singulis * a nobis Domino
   Gratiarum * debetur actio.

5. Sit perpes Deo gloria,
   Ex quo sunt, quae sunt, omnia,
   Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent,
   Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

V

Feria tertia.

Ad Matutinum.

1. Ad laudes die tertia
Nos ejus monent opera,
Congregatis * inferioribus
Aquis terram * detexit Dominus.

2. Terra detecta pullulat,
Herbam et lignum germinat,
Omne genus * herbae producitur,
Omne ligni * genus emittitur.

3. In terra terrae principem
Collocaturus hominem
Locum Deus * ornando praeparat,
Vitae nostrae * quem ordo postulat.

4. Recusamur in omnibus,
Si factorem contemnimus,
Rationem * pro cunctis exigit
Is, qui cuncta * pro nobis condidit.

5. Disceptat mundus contra nos
Factus ornatus propter nos,
Si nos Deo * non subdat gratia,
Quibus ipse * subjecit omnia.

6. Placemus ipsum laudibus,
Quem irritamus actibus,
Quanta laudis * sit immolatio,
Nos psalmorum * docet instructio.

7. Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt, quæ sunt, omnia,
Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent,
Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

VI

Feria quarta.

Ad Matutinum.

1. Ornarunt terram germina
Nunc, coelum luminaria,
Sole, luna, * stellis depingitur,
Quorum multus * usus cognoscitur.

2. Lucem distinguunt, tempora,
Sunt in signa certissima,
Cuncta fere * terrarum commoda
Planetarum * ministrat physica.

3. Haec quoque pro te condita
Sursum, homo, considera,
Esse tuam, * et coeli regio
Se fatetur * horum servitio.

4. Sole calet in hieme,
Qui caret ignis munere,
Pro nocturnae * lucernae gratia
Pauper habet * lunam et sidera.

5. Stratis dives eburneis,
Pauper jacet germineis,
Hinc avium * oblectant cantica,
Inde florum * spirat fragrantia.

6. Impensis, dives, nimiis
Domum casuram construis,
Falso sole * pingis testudinem,
Falsis stellis * in coeli speciem.

7. In veri coeli camera
Pauper jacet pulcherrima,
Vero sole, * veris sideribus
Istam illi * depinxit Dominus.

8. Opus magis eximium
Est naturae quam hominum,
Quod nec labor * nec sumptus praeparat,
Nec vetustas * solvendo dissipat.

9. Ministrat homo diviti,
Angelus autem pauperi,
Ut hinc quoque * constet coelestia
Quam sint nobis * a Deo subdita.

10. Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt, quae sunt, omnia,
Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent,
Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

VII

Feria quinta.

Ad Matutinum.

1. Ornatis luce partibus
   Mundi superioribus
  Loca restat * ornandum infima
  Ex his, quibus * lux est jam condita.

2. Educunt aquae reptile
   Producunt et volatile,
  Uno jussu * pisces et volucres
  Prodierunt * in suas species.

3. Simul et cete grandia
   Et parva fiunt ostrea,
  Uno grypho * momento maximus
  Perfectus est * et passer modicus.

4. Dixit enim et facta sunt,
   Mandavit et creata sunt,
  Magna simul * complet et modica,
  Cui sunt aeque * cuncta facilia.

5. Sit perpes Deo gloria,
   Ex quo sunt, quae sunt, omnia,
  Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent,
  Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

VIII

Feria sexta.

Ad Matutinum.

1. Laus instat sextae feriae,
Pro qua debentur aliae,
Qua formatur * homo novissimus
Praeparatis * ei jam omnibus.

2. Hac in luce terrestria
Creantur animantia,
Omne terrae * de terra reptile,
Omne genus * profertur bestiae.

3. Fit omnium novissimus
Homo, qui praesit omnibus,
Ad haec cuncta * spectabant terminum
Tamquam finem * cunctorum unicum.

4. Summus creatur omnium,
In quo summa stat operum,
In hoc omnis * expletur termino
Consilii * divina ratio.

5. Hoc unum plasma nobile
In quo resplendes, Domine,
Illud tuae * decus imaginis
Et gloria * similitudinis.

6. Vir primum, inde femina
De costa viri condita,
Postquam viro * sopor immittitur,
Sacramentum * quo magnum geritur.

7. Dantur his animantia
In protestate cetera,
Potiuntur * pro tabernaculis
Paradisi * templo gratissimis.

8. Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt, quae sunt, omnia,
Ipsum cuncta, * per quem sunt, praedicent
Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

IX

Sabbato.

Ad Matutinum.

1. Perfectis Deus omnibus
Et inspectis operibus
Summe bonus * cuncta, quae fecerat,
Valde bona * videt et approbat.

2. Sunt perfecta senario
Cuncta dierum numero,
Ut perfecta * dierum operi
Attestetur * et virtus numeri.

3. Quievit die septimo
Non lassatus in aliquo,
Quies ipsa * Deus perpetua,
In quo cuncta * quietis gaudia.

4. Diem ergo sanctificat,
Quo cessando quieverat,
In Sabbati * veri mysterio
Benedicit * diei septimo.

5. Illius inquam Sabbati,
Quod est ignarum termini,
Quo pax vera, * summa tranquillitas
Juges agit * festorum ferias.

6. Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt, quae sunt, omnia,
Ipsum cuncta, * per quem sunt, predicent
Ipsi semper, * in quo sunt, jubilent.

PARS ALTERA

Hymni Diurni.

X

DIE DOMINICA.

Ad Laudes.

1. Advenit veritas, * umbra praeteriit,
Post noctem claritas * diei subiit,
Ad ortum rutilant * superni luminis
Legis mysteria, * plena caliginis.

2. Nocturnum Moysis * cedat praeconium,
Diurnum congruit * diei canticum,
Cum Christo prodeunt * cunta de latebris.
Nec locum deserit * lux tanta tenebris.

3. Velamen exuunt * figurae mysticae,
Est in re veritas * jam non in schemate,
Promissa liquido * complens prophetica
Jota vel apicem * non sinit irrita.

4. Transacto flebili * de morte vespere
Cum vita redditur * mane laetitiae,
Resurgit Dominus, * apparent angeli,
Custodes fugiunt * splendore territi.

5. Sanctorum plurimi, * qui jam dormierant,
Surgentis gloriam * surgendo praedicant,
In testimonium * surgentis Domini
Conscendunt mortui, * descendunt angeli.

6. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt,* in quo sunt, omnia
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XI

Ad Primam.

1. Auroram lucifer * praeit, sol sequitur;
Aurora fidei * lux intelligitur,
Quam verus lucifer * surgendo contulit,
Caro dominica * cum refloruerit.

2. Hic idem lucifer * ut sol refulserit,
Cum ad judicium * commune venerit,
Cujus lux fuerit * tanta praesentiae,
Ut conscientiae * loquantur singulae.

3. Hunc invisibilem, * quem intelligimus,
Solem annuntiat * iste, quem cernimus,
Et in visibilem * auctorem omnium
Laudat visibilis * effectus operum.

4. Cunctis laudantibus, * homo, ne taceas,
Cum laudes Domino * pro cunctis debeas,
Urgeris singulis * ex beneficiis,
Ut grates laudibus * solvas continuis.

5. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XII

Ad Tertiam.

1. In altum orbita * solis jam ducitur,
Calorque proficit, * quo mundus alitur,
Lux primum, deinde * calor infunditur,
Cum fidem caritas * in nobis sequitur.

2. Hanc lucem fidei * sol verus attulit,
In carne verbum cum * nos visitaverit,
Zelum fortissimum * amoris attulit
Hac hora spiritus, * quem verbum miserit.

3. Hinc recte spiritus * in igne visus est
Super apostolos, * cum hoc largitum est,
Nam ignis amor est, * qui mentes animat,
Ut testam luteam * ignis corroborat.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XIII

Ad Sextam.

1. Plena meridie * lux solis radiat,
Plenusque calor est, * quo mundus aestuat,
Beatitudinis * haec est perfectio,
Cum ipsa Dei nos * incendet visio.

2. Cujus, quo fuerit * major cognitio,
Major in singulis * erit dilectio,
Quem nihil aliud * erit conspicere,
Quam vera perfrui * beatitudine.

3. Felices oculi, * beata lumina,
Quibus concessum est * hac frui gloria,
Hujus te supplices * rogamus, Domine,
Loca vel ultima * da nobis cernere.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XIV

Post prandium.

1. Deus, qui corpora * creas et animas
Et cibis propriis * utraque recreas,
Tibi tam corpora * psallant quam animae,
Esse qui tribuis * illis et vivere.

2. Ignosce, Domine, * nostris excessibus,
Si plus quam decuit * gulae indulsimus,
Imo, piissime, * quia sic fecimus,
Tam hoc quam cetera * condona quaesumus.

3. Hoc primi vitio * parentes exsulant
Et crebris posteros * aerumnis implicant,
Hoc naturaliter * est illis insitum
Et quasi filiis * haereditarium.

4. Immoderatior * et inter epulas
Si quid addiderit * culpae loquacitas,
Id quoque tuum est * tuis ignoscere,
Qui nobis spatium * reservas veniae.

5. Tuum est gratiam * dare supplicibus,
Ut sibi temperent * ab his et talibus,
Tuum est omnibus * modum praefigere
Atque praecipitem * naturam regere.

6. Peregrinantibus * nobis viaticum
Da necessarium, * tolle superfluum,
Sicque nos oneret * suppellex modica,
Ne tarde profugis * occurrat patria.

7. Quid in exsilio, * quaeris delicias,
Cum nudus utero * tandem hinc exeas,
Nudaeque naufragum * haerentem tabulae
Cautes excipiant * saxoso litore.

8. Qui spiritalibus * se cibis praeparat,
Non quaerat, qualibus * stercus conficiat,
Coelesti pane qui * saginat animam,
Ventris rugitibus * non quaerat similam.

9. Quem verae poculum * vitis inebriat,
Vini dulcedine * gulam non incitat,
Regum deliciae, * non Christi pauperum,
Solicitudines * sunt istae gentium.

10. Terreni cogitant * hi non coelestia,
Ponunt exsilium * sibi pro patria,
Sortem cum bestiis * hi suam faciunt
Et tales miseri * concives eligunt.

11. Averni facilem * descensum appetunt,
Coelorum arduum * callem refugiunt,
Ventre et pectore * reptantes penitus
Se jam astollere * valent nullatenus.

12. Ut pronas corpore * natura bestias
Sic istos animo * facit edacitas,
Bacchi vel Veneris * templis assidui
In cerimoniis * ventris sunt prodigi.

13. Tu autem exsules * factos ingluvie
Per abstinentiam * reduc nos, Domine,
Nullumque deseras * tuorum inopem,
Qui vestis lilium * et pascis pauperem.

14. Nullum necessitas * premat inopiae,
Sed sit frugalitas * sufficientiae,
Sic ut sufficere * naturae valeat,
Non quod lasciviae * fomentum praebeat.

15. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XV

Ad Nonam.

1. Septem, quas solvimus, * diurnis laudibus
Nocturnis additis * octo perficimus,
Ex quibus quatuor * adscribe vesperae
Et mane quatuor * diemque perfice.

2. A nona vesperam * scimus incipere,
Cum sol se coeperit * terris immergere,
E contra recte quis * mane tribuerit
Post noctis medium, * cum sol emerserit.

3. Octo conficitur * nostra substantia,
Quam demum perficit * octavae gloria,
Corpus ex quatuor * constare novimus,
Ornari totidem * mentes virtutibus.

4. Hinc recte gratias * in octo laudibus
Pro nobis Domino * solvi statuimus,
Defectum corporis * praebentes vesperae,
Mane tribuimus * vigorem animae.

5. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia:
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XVI

Die dominica.

Ad Vesperas.

1. Octavae titulos* in psalmis legimus
Futurae gloriam * vitae canentibus,
Cum lux subierit * perpes fidelium
Istius temporis * post septenarium.

2. Hanc jam in capite * completam novimus,
Cum resurrexerit * hac die Dominus,
Ut sic certissimam * spem membris propriis
Ejusdem tribuat * beatitudinis.

3. Hinc a Christicolis * haec dies merito
Prae cunctis colitur * hoc in mysterio,
Aeternis etenim, * non temporalibus
Hi bonis inhiant, * quorum sors Dominus.

4. Neve tam arduam * viam tenentibus
Ex diffidentia * tepescat animus,
Hac ipsa Dominus * die paraclitum
Misit discipulis * in aram spiritum.

5. Ad hujus addito * diei gloriam,
Quo recte videas * dici dominicam,
Quod corporaliter * hac luce Dominus
Ut rex susceptus est * et haeres regius.

6. Ingressus proprium * dehinc palatium
Potentis exhibet * regis imperium,
Pravos ejiciens * caecos illuminat
Et domum Domini * sic reconciliat.

7. Octavae peragit * Jesus mysterium,
In qua resederit * ut judex omnium
Suos illuminans * sui praesentia,
Pravos ejiciens * a regni gloria.

8. Nec a mysterio * vacare credimus,
Quod soli dies haec * datur a gentibus
Ipsique consecrent * eam ex nomine,
Cum sibi vindicet * hanc sol justitiae.

9. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XVII

Ad Completorium.

1. Ubique tuis nos * et semper laudibus
Vacare, Domine, * debere novimus,
Qui loca fabricas * nobis et tempora,
Noctem ad requiem, * diem ad opera.

2. Et cum non ferat hoc * nostra fragilitas,
Horas instituit, * fixit vigilias,
Ut ipsa loca nos * ad haec admoneant,
Invitent tempora * et segnes arguant.

3. Hora jam requiem * diei septima
Completa poscimus * laudum hebdomada,
Tu nostro, Domine, * benedic Sabbato,
Quos tuo reparet * quies obsequio.

4. Hanc tua dextera * domum sanctificet
Et immanissimum * leonem religet,
Somno pacifico * sic corpus recrea,
Ut in te vigilet * mens semper sobria.

5. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XVIII

Feria secunda.

Ad Laudes.

1. Aetates temporum * nostrique corporis
Divini numerus * praesignat operis,
Dierum novimus * in hoc senarium
Et sex aetates sunt * mundi vel hominum.

2. In Noe primus fit * aetatis terminus,
Instar infantiae * quam recte ponimus,
Similitudine * quadam ad singula
Lux prima continet * horum mysteria.

3. Tunc incomposita * facta materies
Formanda deinceps * erat in species,
Et rude saeculum * legem non noverat,
Nec aetas terrena * rectum quid cogitat.

4. Deleta prior est * aetas diluvio,
Sic et infantiam * delet oblivio,
In primo die lux * narratur condita
Et istam inchoat * lucem infantia.

5. Est et lux fidei * quaedam minoribus,
Quam quasi parvuli * primum suscepimus,
Hanc quoque species * ipsa diluerit
Cum vel nunc credimus * videri coeperit.

6. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia:
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XIX

Feria secunda.

Ad Vesperas.

1. Secunda desinit * aetas in Abraham
Ac si jam ventum sit * ad pueritiam,
Non hanc diluvium * aetatem diluit,
Cum pueritiae * quisque meminerit.

2. Hac firmamentum est * in die conditum,
Ut aquas dividat* his interpositum,
A compluentibus * et inundantibus
Aquis consuluit * arca fidelibus.

3. Non Dei populum * haec aetas genuit,
Legis instructio * cum nondum fuerit,
Nec vires suppetunt * gignendi puero
Etsi memoriam* jam firmet animo.

4. Post lucem fidei * spes nos corroborat
Et jam ad fortia * credentem animat,
Ut spe coelestium * et verae gloriae
Jam cuncta toleret * hujus miseriae.

5. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XX

Feria tertia.

Ad Laudes.

1. Aetas perducitur * ad David tertia,
Huic est similis * adolescentia,
Interpres sapiens * diei tertio
Utramque comparat * aetatem merito.

2. Aquas ab arida * lux illa removet,
Et fluxa saeculi * lex data inhibet,
Ne deprimentibus * nos libidinibus
Concupiscentiis * se mergat animus.

3. Haec aetas populum * per legem genuit
Et patrem Abraham * multorum statuit
Et, quasi prima sit * haec terrae soboles,
Nascuntur hodie * cum terris arbores.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXI

Feria tertia.

Ad Vesperas.

1. Post fidem atque spem * timor incutitur,
Quo mercenarius * aut servus agitur,
Dum hunc sollicitant * sperata commoda
Vel illum stimulant * flagella condita.

2. Antiquum timor hic * possedit populum,
Legis pollicitis * et minis subditum,
Dum lex promitteret * haec bona cupidis,
Reos afficeret * poenis gravissimis.

3. Ex terra vivere * plantas agnoscimus,
Creatas hodie * quas esse legimus,
Et vitam Israël * terrenam duxerit,
Cujus promissio * terrena fuerit.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt, omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXII

Feria quarta.

Ad Laudes.

1. Quarta lux decorat * coelum sideribus,
Quorum perpetuus * vigor est igneus,
Quae nunquam excidit, * sic fervet caritas,
Quae sibi vindicat * sedes aethereas.

2. Cujus quadrifida * lex evangelium
Constat ad quatuor * dierum numerum
Quadrati corporis * est magna firmitas,
Et cuncta sustinet * invicta caritas.

3. Virtutum caritas * est consummatio,
Virilis virium * aetas perfectio,
Ut corpus hominis * hoc implet viribus,
Sic mentem caritas * consummat moribus.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXIII

Feria quarta.

Ad Vesperas.

1. Aetatis saeculi * quartae primordium
Ponunt theologi * regnum Davidicum,
Istius vespera * fit transmigratio
Israëlitici * sub Babylonio.

2. In David caritas * perfecta noscitur,
Quae saevos... et * hostes amplectitur,
Pepercit Saüli, * quem planxit mortuum,
Morte mox puniens * mendacem nuntium.

3. Hostilem religat * praedonem caritas
Nec erit animae * cum hoc captivitas,
Ubi defuerit, * salus amittitur,
Et nostri pectoris * urbs hosti traditur.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXIV

Feria quinta.

Ad Laudes.

1. Quod aetas saeculi * quinta perducitur
Ad Christi tempora, * a multis traditur,
In mundi senio * novus ad veterem,
Ut eum renovet, * missus est hominem.

2. Defectum virium * senectus patitur,
Et mundi senium * hoc recte dicitur,
Ex quo consulere * virtus altissimi
Bonorum omnium * venit defectui.

3. Jam praeterierat * patrum religio,
Prophetae deerant, * defecit unctio,
Cum hunc inunxerit * divina gratia,
Qui spiritaliter * restaurat omnia.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXV

Feria quinta.

Ad Vesperas.

1. Ex aquis hodie * viventes animas
Produci docuit * scripturae veritas,
Quia baptismatis * absente lavacro
Morum non sufficit * catechizatio.

2. Hic mater gratia * sepelit veterem,
Hinc novum pia plebs * suscipit hominem,
Qui sacramentum hoc * primus exhibuit,
Adventum Domini * baptista praevenit.

3. In quintae mittitur * aetatis tempore,
Quintae mysterium * qui pandit feriae,
Qui finis veterum * nova dat lavacra,
Quasi produceret * hinc animantia.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXVI

Feria sexta.

Ad Laudes.

1. Sexta tam hominum * aetas quam temporum
Meta vel finis est * aetatum omnium,
Finis perficiens * bonorum Christus est,
Aetate saeculi * sexta qui passus est.

2. Ipsius passio * nostra redemptio,
Bonorum omnium * et consummatio,
Salutis cetera * sunt adminicula,
Haec est completio * salutis hostia.

3. Hac die conditus * homo se perdidit,
Eadem conditor * ipsum restituit,
Propter quem subiens * crucis suspendium,
Ut servum redimat, * se dedit pretium.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXVII

Feria sexta.

Ad Vesperas.

1. De costa viri fit * sopiti femina :
Ubi Christi sponsa * ejus ecclesia,
Mors Christi sopor est, * de cujus latere
Nos mundat prodiens * aqua cum sanguine.

2. Rei cujuslibet * ejus imaginem
Expressam dicimus * similitudinem,
Quod vero quamlibet * rem munus exprimit,
Similitudinis * nomen non refugit.

3. Virum et feminae * praeesse novimus,
Ejus de corpore * quam sumpsit Dominus,
Hinc Dei dicimus * virum imaginem
Ejusque feminam * similitudinem.

4. Quo nempe major est * viri sublimitas
Atque potentiae * praecellit dignitas,
Eo vir amplius * est Deo similis,
Cum hanc et ratio * praeponat ceteris.

5. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia:
Ex quo sunt, Deus est, * per quem sunt filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXVIII

Sabbato.

Ad Laudes.

1. Finem ac requiem * laborum omnium
Beatitudinis * imponit bravium,
Ad hanc pertingitur * per praecedentia,
Quae sex significant * dierum opera.

2. Fides, spes illa sunt, * timor, dilectio,
Baptismi gratia * Christique passio,
Hujus senarii * beatis gradibus
Beatitudinis * succedit aditus.

3. Per gradus singulos * deduc nos, Domine,
Ut queant membra te, * cáput, apprendere,
In veri Sabbati * perenni gloria,
Cujus exsuperant * omne cor gaudia.

4. Perenni Domino * perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia:
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

XXIX

Sabbato.

Ad Vesperas.

1. O quanta, qualia * sunt illa Sabbata,
Quae semper celebrat * superna curia,
Quae fessis requies, * quae merces fortibus,
Cum erit omnia * Deus in omnibus.

2. Vere Jerusalem * est illa civitas,
Cujus pax jugis est, * summa jucunditas,
Ubi non praevenit * rem desiderium,
Nec desiderio * minus est praemium.

3. Quis rex, quae curia,* quale palatium,
Quae pax, quae requies * quod illud gaudium,
Hujus participes * exponant gloriae,
Si, quantum sentiunt, * possint exprimere.

4. Nostrum est interim * mentem erigere
Et totis patriam * votis appetere,
Et ad Jerusalem * a Babylonia
Post longa regredi * tandem exsilia.

5. Illic molestiis * finitis omnibus
Securi cantica * Sion cantabimus,
Et juges gratias * de donis gratiae
Beata referet * plebs tibi, Domine.

6. Illic ex Sabbato * succedet Sabbatum,
Perpes laetitia * sabbatizantium,
Nec ineffabiles * cessabunt jubili,
Quos decantabimus * et nos et angeli.

7. Perenni Domino * perpes sit gloria
Ex quo sunt, per quem sunt, * in quo sunt omnia :
Ex quo sunt, pater est, * per quem sunt, filius,
In quo sunt, patris et * filii spiritus.

NOTAE

AD LIBELLUM PRIMUM.

Praefatio. B. — 1) Tillim (hebr. תהלים) B — 2). Ita Cod ; edidit Pitra : *nostra id est Gallicana*, nulla adjecta notula. Animadvertit vero, eadem tunc temporis psalterii versicne usam esse Gallicanam ecclesiam, qua nunc utitur, Itala videlicet ab Hieronymo correcta. « Vellet, inquit, ei substitui Abaelardus versionem factam a S. Hieronymo secundum fidem Hebraicam, quod ipse sanctus doctor noluit ». Nihil, quantum capio, hoc loco affirmat Abaelardus nisi ignorari auctorem antiquae versionis, cujus mendositati pauculas correctiones adspersit interpres Stridoniensis. — 3) Vox *apocrypha* ex contextu non eo sensu accipienda videtur, quo de libris in Canonem haud receptis passim adhibetur, sed idem quod *anonyma* significare. — 4) Haec (Ps. 118, 55) et sequentia tam sacrae scripturae effata quam hymnorum liturgicorum fragmenta in Codice ita abbreviata sunt, ut post pauca verba non nisi primae quaeque literae cujusvis verbi exhibeantur, quae tamen et hic et deinceps rite complevimus. — 5) Ps. 118, 62. — 6) Ps. 118, 164. — 7) Ps. 62, 7. — 8) Initium hymni diei dominicae ad Matutin. Daniel, Thesaurus hymnol. I, 176. — 9) Ex hymno: *Consors paterni luminis* feriae III, ad Matutin. Dreves, Analecta hymnica II, 30. — 10) Ex hymno: *Rerum creator optime* feriae IV, ad Matutin. Analecta hymnica II, 31. — 11) Initium hymni feriae V, ad Matutin. Analecta hymnica II, 32. — 12) Ex hymno: *Tu Trinitatis unitas* feriae VI, ad Matutin. Analecta hymnica II, 33. — 13) Ex hymno: *Summae Deus clementiae* feriae VII ad Matutin. Analecta hymnica II, 34. — 14) Pitra post verba: *Sic et matutini* contra fidem Codicis omisit: *seu reliqui*, quae duo verba, ut suus sententiae sensus integer conservetur, omnino requiruntur. — 15) Initium hymni diei dominicae ad Laudes, Thesaur. hymnol. I,

177. — 16) Initium hymni feriae V, ad Laudes, Analecta hymnica II, 32. — 17) Initium hymni, qui in Laudibus Sabbati decantatur. Analecta hymnica II, 47. — 18) Initium hymni, qui tempore paschali Laudibus tribuitur. Analecta hymnica II, 47. — 19) Initium hymni feriae III, ad Laudes, e Prudentii Cathemerinon carmine primo excerpti, Analecta hymnica II, 30. — 20) Ex hymno : *Aeterna cœli gloria* feriae VI, ad Laudes, Analecta hymnica II, 33. — 21) Ex hymno *Rerum creator optime* feriae VI, ad Matutin. Analecta hymnica II, 31. — 22) Ex hymno : *Summae Deus clementiae* feriae VII, ad Matutin. Analecta hymnica II, 34. — 23) Initium hymni pervetusti de S. Martino, Analecta hymnica II, 67. — 24) Ex hymno : *Iste confessor Domini sacratus*, Analecta hymnica II, 77 ; Cod. Bruxellensis non exhibet nisi priores duos versus addito etc., quae cetera, ne sensui deessem, complevi.

I. B fol. 82 a ; C fol. 40 a. — **Lectiones variantes** : 1, 4. Glorificent BC. — 3, 1. Actor es BC, vox per quam apud medii aevi scriptores usitata pro *auctor ;* cfr. protoplastus et protoplaustus atque his similia. — 4, 2. cesset illum impium C, censet illum imperium B ; ad versum Dumerilius (Poésies populaires 1847, 440) : « Il y a dans notre copie *illum imperium* et un q dont la queue est barrée, probablement quam, ce qui ne forme aucun sens et donne au second vers une syllabe de trop ; mais la restitution que nous proposons (Non censet huic imperium) nous semble fort suspecte ». — 4, 4. Quod nec gravat tandem nec minuitur B. — 5, 4. Nec vacillet C ; relinquo lectionem Cod. Bruxellensis, quamvis Calvimontanus suspicionem movet, legendum esse : nec vacillat.

Adnotanda : Metrum hujus hymni et eorum quae sequuntur carminum usque ad IX, hoc est :

– – – ⊥́ – ⊥́ – ⊥ *a*
– – – ⊥́ – ⊥́ – ⊥ *a*
– – – – | – – – ⊥́ – ⊥ *b*
– – – – | – – – ⊥́ – ⊥ *b.*

3, 2. Omnipotens non aemulus ; alludit poeta ad illud Platonis : 'Αγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγίγνεται φθόνος. τούτου δ'ἐκτὸς ὢν πάντα ὅτι μάλιστα γενέσθαι ἐβουλήθη παρα-

πλήσια ἑαυτῷ. Timaeus 29 a. Cfr. Phaedrus 247 a: Φθόνος γὰρ ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται. — 3, 3. Totus fere hymnus in propugnando optimismo, quem vocant, versatur. Qua tamen in re duo advertenda occurrunt : primum quod non loquatur Abaelardus de mundo, qualem reapse experimur, sed de illo, qui primitus e conditoris manibus prodierat ; alterum, quod non optimismum absolutum atque exageratum, qualem Plato docuerat, statuit doctor Palatinus, sed moderatum quendam ac relativum, id quod satis innuunt verba illa: **Quantum decet**, facis eximia. Subtile siquidem Abaelardi ingenium latere omnino non potuit Deum, qualemcunque demum mundum creasset, absoluta potentia, ut schola loqui consuevit, semper meliorem atque etiam meliorem creare potuisse ac posse. Atque huic doctrinae etiam aliis in locis inhaeret. Ita in expositione in Hexaemeron ad diem sextum (Migne PP. LL. 178, 766) habet: « Quod ergo dictum est: *Vidit cuncta et erant valde bona*, tale est, quod nihil in eis ab ipso perfecte cognitis corrigendum censuit, sed tantum omnia bona condidit, **quantum bona condi oportuit**, ut nihil scilicet in conditione sua plus boni accipere illa **decuerit** ». Et post pauca : « Opera itaque Dei cuncta bona sunt et omnis creatura bona est praedicanda, quia nihil peccati vel mali in ipsa sua creationis origine accipiunt sed singulis tantum confert Deus, **quantum convenit**, ut non solum bonae verum etiam **optimae id est valde bonae** singulae ab eo fiant creaturae ». Alium omnino intellectum habent illa Platonis : Θέμις δὲ οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστι τῷ ἀρίστῳ δρᾷν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον. Timaeus 30 a.

II. B. fol. 82 a. — **Lectiones variantes** : 2, 2. sic fiet B. — 7, 1. Doxologiae, quae eaedem esse solent in omnibus hymnis cujusvis sive festi sive feriae, in Codice non nisi semel integrae occurrunt, deinceps non nisi prima verba exhibentur.

Adnotanda : 3, 1. Quae sit triplex haec intelligentia, stropha docemur sequenti. De eodem argumento paulo fusius in Expositione laudata in Hexaemeron ita : « Quoniam ea, quae praedicta sunt, juxta radicem **historiae** ac veritatem rei gestae, quantum valuimus, prosecuti sumus, juvat **morali** quoque ac postmodum **mystica** expositione nos eadem perquirere. Moralis itaque dicitur expositio, quoties ea, quae dicuntur, ad aedificationem morum sic applicantur, sicut in nobis vel a nobis fieri habent, quae ad salutem necessaria sunt bona, veluti cum

de fide, spe et caritate vel bonis operibus expositione nostra lectorem instruimus. Mystica vero dicitur expositio, cum ea præfigurari docemus, quæ a tempore gratiae per Christum fuerant consummanda vel quaecunque historia futura praesignari ostenditur » (Migne PP. LL. 178, p. 770).

III. B. fol. 82 b. — **Lectiones variantes** : 4, 1. Aqua. B. — 5, 1. In mundi quoque. B.

Adnotanda : 1, 2. Vox *intelligibilis* hoc loco non eo intellectu, quo post Senecam Augustinus, post Augustinum philosophi plerumque scholastici ea utebantur, accipienda est, sed idem significat ac *intelligens*. — 2, 4. Alludit ad Jobum 38, 4 et 7 Abaelardus ; de quo loco Beda, Hexaem. I : Astra videlicet matutina eosdem angelos, quos et filios Dei nuncupans, ad distinctionem nimirum hominum sanctorum, qui postmodum creandi ac velut astra vespertina post confessionem divinae laudationis per mortem erant carnis occasuri (Migne PP LL. 91 p, 14). — 4, 1. Ob oculos erat Abaelardo sequentia Notgeriana : *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, in cujus clausula quinta altera parte ita canit prosator Sangallensis.

Tu super aquas
foturus eas
numen tuum expandisti, spiritus.

Versio scripturae, vulgata quae dicitur, non habet nisi haec verba : Spiritus Dei ferebatur super aquas. At ipse Hieronymus in libro quaestionum Hebraicarum in Genesin capite primo advertit, vocem Hebraicam *merahefeth* (מְרַחֶפֶת) potius significare « incubabat sive confovebat in similitudinem volucris ova calore animantis ». Eadem fere, auctoritatem interponens, ut videtur Ephrem Syri, S. Basilius homilia 2, in Hexaemeron n. 6 : Ἐρῶ σοι οὐκ ἐμαυτοῦ λόγον, ἀλλὰ Σύρου ἀνδρὸς σοφίας κοσμικῆς τοσοῦτον ἀφεστηκότος, ὅσον ἐγγὺς ἦν τῆς τῶν ἀληθινῶν ἐπιστήμης. Ἔλεγε τοίνυν τὴν τῶν Σύρων φωνὴν ἐμφατικωτέραν τε εἶναι, καὶ διὰ τὴν πρὸς τὴν Ἑβραΐδα γειτνίασιν μᾶλλόν πως τῇ ἐννοίᾳ τῶν Γραφῶν προσεγγίζειν. Εἶναι οὖν τὴν διάνοιαν τοῦ ῥητοῦ ταύτην· Τὸ Ἐπεφέρετο, φησίν, ἐξηγοῦνται ἀντὶ τοῦ συνέθαλπε καὶ ἐζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὄρνιθος καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποθαλπομένοις. Τοιοῦτόν τινα φασὶν ὑπὸ τῆς φωνῆς ταύτης παραδηλοῦσθαι τὸν νοῦν, ὡς ἐπιφερομένου τοῦ πνεύματος. Quibus praeter alios e Grae-

cis addas Diodorum Tarsensem (Fragmenta in Genesim, Migne PP. GG. 33, p. 1303 C), e Latinis vero Augustinum, qui l. 1. de Genesi ad literam c. 8. Basilium exscripsit et Ambrosium, qui Hexaemeron l. 1. c. 8 : Denique Syrus, inquit, qui vicinus Hebraeo est et sermone consonat in plerisque et congruit, sic habet : *Et spiritus Dei fovebat aquas* id est vivificabat, ut in novas cogeret creaturas et fotu suo animaret ad vitam. Ipse Abaelardus in Expositione in Hexaemeron, de opere primi diei hæc habet : « Hebraicum habet *volitabat super faciem aquarum.* Translatio vero quaedam habet *fovebat aquas*, quaedam *ferebatur super aquas*, sicut habet praesens, quam prae manibus habemus, ac primum nobis occurrit exponenda ». 4, 3, sq. Etiam hisce versibus Notgerum secutum esse Abaelardum facile mihi persuaserim, quippe qui versibus supra laudatis immediate subjungat.

Tu animabus
vivificandis
aquas fecundas.

In Expositione in Hexaemeron l. c. haec reperiuntur, quae ad mentem hymnographi nostri aperiendam multum conducunt : « Bene autem ventus aquis immissus et eas attollens, ut universum tegerent mundum, typum nostrae regenerationis ex aqua et spiritu **praesignabat.** Hoc enim elementum Spiritus Sanctus ceteris dignitate praefecit ac superposuit, dum hoc ei sui gratiae beneficium contulit, ut quorumlibet hominum aqua baptismatis perfusorum universa peccata sic tergerentur vel delerentur, ut nec satisfactio poenae corporalis restaret ».

IV. B fol. 82 b. — **Adnotanda.** 3, 1. Ad hunc et sequentem versum adnotare juvat, quae auctor ipse in libro laudato de secunda die disputat : « Quidam ad inundationem diluvii reservatas, alii vero rectius ad ignem sidereum temperandum suspensas [aquas] affirmant. Beatus vero Augustinus istas opiniones praetermittens de aquis illis superioribus, utrum videlicet glaciales sint vel non, vel quas in se habeant utilitates, ait : *Sane quales ibi aquae sint quosve ad usus reservatae*, **Conditor ipse noverit**, *esse tamen eas ibi scriptura testante nullum dubium est.* Quod ergo tantus doctor quasi dubium sibi reliquit, affirmare nobis arrogantissimum videtur. Quod vero nonnulli opinati sunt,

eas ibi constitutas et reservatas ad inundationem diluvii, ut inde scilicet labentes abundantia sui terram cooperirent, frivolum omnino deprehenditur. Cum enim psalmista longe post diluvium exsistent dicat : *Et aquae, quae super coelos sunt, laudent nomen Domini* (Ps. 148, 4), profecto ibi nunc quoque sicut ante constat eas existere...

Quid ergo suspensio illa aquarum utilitatis habeat, quod nec a sanctis certa sententia definitum est, difficillimum asseri arbitror. Illa tamen nobis probabilior videtur opinio, ut ob hoc maxime ad calorem temperandum superioris ignis constituerentur, ne fervor ille superior vel nubes ipsas vel aquas inferiores omnino attraheret, cum sit vis ignis naturaliter attractiva humoris », etc. Migne, l. c., p. 743.

V. B fol. 82 b. — **Adnotanda.** 3, 1. « Scriptura autem de fructibus nullam hic mentionem facit. Sed de fructuosis plantis in paradiso, ubi homo collocandus erat, fructus subito cum arboribus produci credimus quantum homini necessarium esset ». Abaelardus, Expositio in Hexaemeron, l. c., 750. — 5, 1. Cfr. Sap. 3, 21 : Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos ; cfr. etiam Rom. 8, 20, sqq. — 5, 3. « Et attende quantum sibi in omnibus hominem velit obedire, cum nec eum comedere, ut vivat, nisi per obedientiam velit, nec sine permissione sua quidquam in quibusque necessariis attingere nec ad sustentationem etiam vitae. Ex quo patenter innuit, **totam** hominis vitam non nisi in obedientia Dei consistere et ad hoc eum solummodo debere vivere ». Abaelardus in Exposit. in Hexaem. ad verba : *Ecce dedi.* — 6, 3, sq. Cfr. Ps. 26, 6. Immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, cantabo et psalmum dicam Domino, Ps. 115, 17. Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.

VI. B. fol. 83 a. — **Adnotanda.** 2, 3, sq. Prolixior Albaelardo de natura motuque planetarum sermo est in Expositione in Hexaemeron, l. c., p. 753 sqq., ubi postquam Platonis atque Augustini varias recensuit sententias, quid in re ipse sentiat, hisce comprehendit : Si ergo ut philosophis visum est nec sancti prorsus refellere praesumunt, illis coelestibus siderum corporibus, quidam praesint spiritus, qui eos movere vel agitare queant, facile est propositae quaestionis de motu planetarum solutio. Sin autem aliunde ordinatum sibi et stabilitum motum

habeant, sufficit hoc divinae tribuere voluntati, quae in primordialibus, ut dictum est, causis vim naturae obtinuit, etc. — De astronomia vero seu astrologia, ad quam artem versus suprascripti alludere videntur, satis sobrie haec inter alia disserit : Sic et periti astrorum, qui naturas ipsorum, unde calida aut frigida, sicca vel humida temperata sunt, noverunt et illas partes coeli, quae domicilia eorum vocant, in quibus cum fuerint, suas maxime vires exercent, per astronomiam didicerunt, multa de naturalibus futuris praenoscere possunt, utrum videlicet sequenti tempore siccitas abundet aut pluvia, sive calor aut frigiditas. Quae non solum ad providentiam cultus terrae verum etiam ad medicamentorum moderationem plurimum valent... De contingentibus vero futuris, quae, ut diximus, naturae quoque sunt incognita, quisquis per documentum astronomiae certitudinem aliquam promiserit, non tam astronomicus quam diabolicus habendus est. De quo facile nihil eos scire convincere possumus. — 4, 1 sqq. Continent hi, quique sequuntur, versus longiorem eamque egregiam atque omnino poeticam circumlocutionem eorum, quae apud Augustinum Enarratione in Ps. 127. c. 16. leguntur : Dici possunt bona ista, aurum est, argentum est, fundus amoenus est, marmorati parietes sunt, tecta laqueata sunt? Absit. Ista abundantius pauperes habent in hac vita. **Plus enim est pauperi videre coelum, stellatum quam diviti tectum inauratum.** — 9. 1 sqq. Cum in scripturis, ut jam supra monuimus, angeli stellae seu astra matutina vocentur, postquam coelum, quod oculis videmus, propter homines factum esse exposuit Abaelardus, ad coelum illud alterum ac metaphoricum dilapsus, et illud propter eundem hominem factum esse asseverat juxta illud Apostoli : Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis. Heb. 1, 14.

VII. B. fol. 83 a. — **Lectiones variantes** : 1, 4. Ex his, ex quibus B. — **Adnotanda.** — 3, 4. Sicut Centauros ex homine et leone compositos volebant veteres, ita in grypho aquilae leonem jungebant medii aevi scriptores ; unde in Divina Comoedia, quae dicitur, tamquam symbolum quoddam Christi adhibetur, quippe qui unum quid atque integrum sit, ex duplici tamen natura conflatum. In gryphorum magnitudine exageranda multi sunt poetae, cujus exemplum habes in fabula illa, quae de Henrico

Saxoniae duce, cui Leonis cognomen inditum est, deque rebus ejus terra marique gestis agit. Haec de grypho Philologus de naturis animalium et bestiarum : Uns oiseaux est qui est apelés gripons. Phisiologes nos dist que il est en une partie des désers d'Inde abitant ; et iluec conversent cist oisel. Si nos dist que ces manières d'oiseax n'issent onques des désers, si ce n'est cose que il ne poent trover que il voelent mangier. Cil oisel sont par droite nature si fors que il prennent ben 1 buef tot vif et s'envolent atot et l'emportent à lors pochins. Cest oisels senéfie diable ; le buef senéfie l'ome qui vit en mortel péché. Cahier et Martin, Mélanges d'Archéologie II, 226. Huc etiam referre Iubet illud Augustini in Enarr. in Ps. 148, n. 9 : « Dracones circa aquam versantur, de speluncis procedunt, feruntur in aera, concitatur propter eos aer : magna quaedam sunt animantia dracones, majora non sunt super terram ». — 4, 1 sq. Haec verba ex Psalmi 148 versu 5 desumpta esse, nemo non videt.

VIII. B. fol 83 a. — **Lectiones variantes** : 4, 1, creator, B, atque ita Migne, cujus loco creatur legas necesse est. — 7, 4. Paradisi tempore, B. — **Adnotanda.** — 3, 4 sq. Celebris est apud Scholae philosophos quaestio, potueritne Deus, pro sua, qua pollet, sapientia creare mundum, quem videmus, corporeum homine non creato neque unquam creando. Et sanioris quidem ingenii auctores id fieri potuisse negant, quia nisi per hominem res ceterae ad Deum tamquam finem omnium rerum ultimum referri non possint. Cui sententiae adeo inhaesisse videtur Ambrosius, ut asserere non vereatur, deleto per diluvium homine delenda simul fuisse animantia resque ceteras, quippe quae, propter hominem creatae, homine perempto, cur ulterius essent, non haberent.

Ipse Abaelardus in Expositione in Hexaemeron : « Ad quem quidem (de homine dicit) tamquam finem, hoc est finalem ceterorum causam, omnia spectabant, cum propter hominem creata sint sive disposita. Homo vero non propter illa sed propter Deum solum glorificandum. Cum ergo illa usque ad hominem per suas utilitates pervenerint, cursum suum quasi in meta quadam et stadii termino sibi praefixo consummabunt. Homo vero usque ad Deum pervenire habet et in ejus visione tamquam in Sabbato vero quiescere ». — 5, 3 sq. De imagine deque

similitudine subtilior prolixiorque disputatio est Abaelardo in Expositione saepe laudata in Hexaemeron : « Distat autem inter imaginem et similitudinem, quod similitudo rei potest dici, quod convenientiam aliquam habet cum ipsa, unde simile illi dici queat. Imago vero expressa tantum similitudo dicitur, sicut figurae hominum quae per singula membra perfectius eos repraesentant ». Ad imaginem igitur Dei secundum Abaelardum, Augustini vertigiis inhaerentem, solus vir creatus est, femina ad similitudinem tantum Dei facta : « Quia ergo vir dignior quam femina est, et per hoc Deo similior, imago ejus dicitur; femina vero similitudo, cum ipsa etiam sicut vir per rationem et immortalitatem animae Deum imitetur. Vir autem hoc insuper habet, quo Deo similior fiat, quod sicut omnia a Deo habent esse, ita ex uno viro secundum traducem corporis tam femina ipsa quam totum genus humanum initium habet ». Quam doctrinam Abaelardus ab Augustino mutuasse censendus est, quippe qui in libro de Genesi ad literam XI, c. 42. haec habeat : « An quia hoc credere ipse non posset, propterea mulier addita est, quae parvi intellectus esset et adhuc fortasse secundum sensum carnis, non secundum spiritum mentis viveret, et hoc est, quod ei apostolus non tribuit imaginem Dei ? Sic enim ait : Vir quidem non debet velare caput suum, quia imago et gloria Dei est ». 1 Cor, 11, 7. — 6, 4. Alludit poeta ad celeberrimum illum locum ad Ephesios 5, 32. Aliam explicationem ex Augustino Beda affert in quaestionibus super Genesin, ubi haec legimus : « In mente scilicet, i. e. in ratione et intelligentia ipsa itaque mens, dum cogitat ea, quae aeterna sunt, imago Dei dicenda est. Cogitando aeterna vir est sicut dicit apostolus Paulus : *Vir non debet velare caput suum, cum sit imago gloriae Dei* (I. Cor. 11, 7), i. e. quantumcunque se extenderit in id, quod aeternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei et ideo non est cohibenda, ut se inde contineat ac temperet. Quando vero ea agit vel cogitat, quae sunt temporalia, mulier appellatur, tunc non est dicenda imago Dei, et propterea debet velare caput suum, ne nimia sit ad inferiora progressio, ne, cum licita agat, illicita concupiscat ». Et haec mystico plane sensu non carere, imor forte abundare dixeris.— 7, 4. De paradiso haec in Expositione in Hexaemerón Abaelardus, quae subjicere non abs re esse existimo : « Quomodo insu-

per universae, ut dicitur, terrae dominari vel praesse posset in uno paradisi loco semper conclusus, ceteris omnibus mundi partibus ignoratis tamquam non visis? Aut quod postmodum ait : Crescite et multiplicamini et replete terram, quomodo unquam eveniret, si in tantula parte mundi conclusi nondum exirent in diversas mundi regiones? Nulla itaque ratio habet, totam hominum futuram multitudinem in illo uno paradisi loco semper conversaturam esse, si non peccassent, sed inde postmodum sicut et de arca per mundum dispergendos esse, nihil poenale alicubi reperturos, cum nulla maledictione pro peccato terra percuteretur a Deo. Ideo tamen primos homines in paradiso locatos primum credimus, quo temperies illa loci, quem a principio Dominus plantaverat, fructibus plurimum abundaret, nondum his ita vel ceteris per mundum propagatis. » Sed haec aliaque id genus, licet habita temporum ratione, satis subtiliter disputata concedas, problemata, quae se acrioris ingenii hominibus, Mosaicam de rerum mundanarum origine atque principiis narrationem perscrutantibus, hisce praesertim temporibus solvenda obtrudunt, non nisi leviter et extremo veluti digito attingunt.

IX. B. fol. 83 b. **Lectiones variantes** : 1, 2. Et, quod deest in codice, recte supplevit Pitra. — 2, 3, perfecta, B, perfecto legit et edidit Pitra, quae textus emendatio uti non inepta, ita non necessaria videtur.

Adnotanda : 1, 4. Valde bona. De moderato Abaelardi optimismo jam supra ad hymnum omnium primum disputatum est. Atque iis quae dicta sunt, addas, quae in Expositione operis sex dierum occurrunt : « Non sunt igitur opera Dei ulla dicenda mala, quamvis nonnulla, ut justum est, periculosa sint ac nociva, vel cum nonnunquam justum perimendo ab hujus vitae angustiis liberant vel aliquibus afflictionibus purgant. Sed nec aliqua in creaturis superflua sunt dicenda, quamvis nos nonnunquam maxime gravent, quia pro diversis usibus ea, quae ad unum minime valent, ad aliud commoda sunt, ut sarmenta praecisa, quae fructui vitis nocerent, si in ea remanerent, ad faciendum ignem vel ad alias necessitates non inutilia sunt. Denique quanto amplius vita haec periculosior vel magis poenalis habetur, tanto ardentius illa expetitur, quae ab his omnibus immunis exsistit ». Non insulse ad hunc locum Gene-

seos Beda libro I. Hexaem. : « Bona singula, valde bonum totum ». — 2, 1. « Senarium numerum constat esse perfectum, quia primus suis partibus expletur, sexta videlicet, quod est unum, et tertia, quae sunt duo, et dimidia, quae sunt tria. Unum enim et duo et tria faciunt sex, quale in monadibus numeris nunquam praeter hic invenies, sed neque in decadibus praeter vicesimum et octavum numerum. Sex ergo diebus perfecit Deus omnem ornatum cœli et terrae, ut qui omnia in mensura et numero et pondere constituit, ipso etiam numero, in quo operaretur, sua opera doceret esse perfecta ». Haec, quem secutus est Abaelardus, Beda ipso, quem modo innuimus, loco ; sed et ipse Beda exscripsit Augustinum, qui libro IV de Genesi ad literam per integrum caput sextum totus est in senarii numeri laudibus. — 3, 1. « Non quasi lassus ex nimio labore Deus instar humanae fragilitatis completa mundi fabrica requievit, sed requievisse ab universo suo opere dicitur, quia novam creaturam ultra instituere aliquam cessavit ». Beda l. c. De qua re fusius Augustinus, De Genesi ad lit. l. IV, c. 8 sqq. — 3, 3. Idem Beda : « Deus autem qui ante creationem mundi aeternaliter in seipso perfectam habebat requiem, ipse etiam creato mundo non in operibus, quae fecit, sed ab omnibus, quae fecit, operibus requievit, utpote nihil habens secum necessitatis in creaturis requiescere suis, quin potius creaturis rationabilibus ipse requiem praestans, cum in se ipso perfecte semper requiescat eoque bono beatus sit, quod ipse sibi est ». — 4, 3. « Idcirco benedixit Dominus diem septimum et sanctificavit eum. Quae profecto benedictio et sanctificatio diei septimi in typum majoris benedictionis ac sanctificationis facta est. Nam sicut per crebras immo quotidianas in lege victimas sanguis dominicae passionis, qui semel erat pro salute mundi effundendus, signabatur : ita etiam per requiem diei septimi, quae post opera sex dierum semper celebrari solebat, praefigurabatur magnus dies ille Sabbati, in quo Dominus semel in sepulchro erat requieturus, completis ac perfectis in die sexto omnibus operibus suis, quibus mundum, quem in die sexto perfecerat, jam perditum restaurabat... Sed et haec sanctificatio et benedictio septimi diei et requies in illa Dei post opera sua valde bona designavit, quod nos singuli post opera bona, quae in nobis ipse operatur, et velle et

perficere, ad requiem tendimus vitae coelestis, in qua aeterna ejus sanctificatione et benedictione perfruamur ». Beda, l. c. — Idem alio in loco : « Quod autem dicit : *Requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis*, quid aliud significat nisi requiem sanctam, quam nobis daturus est ab operibus nostris, si bona fecerimus ». Exposit. in Gen. l. I, c. 2. — 5, 1. « Unde bene idem dies septimus vesperam habuisse non scribitur, quia nimirum perpetuam nostram in illo requiem significat ». Beda, Hexaem. l I.

X. B, fol. 83 b ; C fol. 40 b. — **Lectiones variantes** : 1, 1. Invenit veritas, C ; falsam literam adpinxit rubricator. 2, 2. *Moysis* legendum contra fidem codicum, qui habent *Moysi*. — 3, 1. Velamen exeunt, C, mendose, licet sensu lectio non careat. — 3, 4. Tota vel apicem, B, quod edidit Pitra.

Adnotanda : Metrum hymnorum X-XXIX, ex Asclepiadeo derivatum, ad normam schematis subsequentis ab Abaelardo redigitur :

— — — ⊥ — ∟ | — — — ⊥ — ∟ *a*
— — — ⊥ — ∟ | — — — ⊥ — ∟ *a*
— — — ⊥ — ∟ | — — — ⊥ — ∟ *b*
— — — ⊥ — ∟ | — — — ⊥ — ∟ *b*.

Hymni nocturni Genesin ad literam, ut Augustini verbis utar, explanant, diurni mysticam seu allegoricam interpretationem exhibent, quae priori non secus ac dies nocti opponitur. Umbra enim et litera veteris, lux atque intellectus novae legis sunt propria. Nam omnia, quae in veteri testamento facta vel acta esse legimus, praeter ea, quae re ipsa significabant, subtilius quiddam et ab obvio intellectu remotius innuere putabantur secundum illud Pauli ad Corinthios : *Omnia in figura contingebant illis* (1 Cor. 10, 11), ubi tamen apostolus non dixit *omnia* sed *haec autem omnia*. Atque huc illud Pseudo-Ambrosii (Serm. Ambrosio tributi, Serm. VI de Nativ. Dom. IV, n. 4. Ed. Mediol. VI, p. 421) referre juvat : Primo quidem ante lucem, hoc est antequam illuminaret justitiae sol, velut matutinum quoddam prophetarum misit oraculum sicut scriptum est : Mittebam prophetas meos ante lucem. Postea vero ipse cum suis radiis, hoc est cum apostolorum suorum fulgore

resplenduit ac tanta mundi caliginem veritatis luce discussit, ut in diaboli tenebris nullus offenderet.

Cfr. insuper, quae in hymno Nativitatis dominicaé cecinit Othlo Ratisbonensis (Mone nº 3) :

> **Ille signatas reserans figuras**
> **Legis obscurae** fideique purae
> Sensibus nostris aderit perennis
> Pro renovandis.

XI. B fol. 83 b. — **Lectiones variantes** : 3, 1. Dunc invisibilem, B, falsam literam apposuit rubricator ; male legit Pitra *Nunc*, recte Cousin supplevit et edidit *Hunc ;* hoc enim sensus exigit.

Adnotanda : 1, 1 sqq. Quae sit aurora, de quo ei sermo, ipse Abaelardus versu secundo edicit. Luciferum eundem esse ac solem, Christum scilicet Dominum, versu 2, 1, aperte innuit. Christum luciferum appellat ipse hymnographorum parens ac princeps Ambrosius, in hymno *Lucis largitor splendide*, ubi sic ait :

> Tu verus mundi lucifer,
> Non is, qui parvi sideris
> Ventura lucis nuntians
> Angusto fulget lumine,
>
> Sed toto sole clarior,
> Lux ipse totus et dies,
> Interna nostri pectoris
> Illuminans praecordia.

Sed idem Ambrosius Christum Auroram quoque vocat :

> Aurora cursus provehit,
> **Aurora-totus** provehat,
> In patre totus filius
> Et totus in verbo pater.

Christum solem, solem justitiae dicere, communis est apud patres scriptoresque ecclesiasticos loquendi modus et frequentius apud Augustinum occurrit. Peculiare est Abaelardo ad Christum judicem hunc titulum applicare. Cui auctor erat apostolus ad Corinthios scribens : *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* 1 Cor. 4, 5. — 3, 1 sq. Alludit ad Ps.

18, 1 sqq: *Cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus adnuntiat firmamentum... In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum;* versu vero 3, 3 sq. illud ad Romanos prae oculis habuit : *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Rom. 1, 20. — 4, 3 sq. Nihil dubito, quin haec scribens Abaelardus mentem adverterit ad verba illa ejusdem ad Romanos epistolae : *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt;* Rom., 1, 21.

XII. B. fol. 84 a. — **Adnotanda** : Hymni quotidiani, quotquot pro hora tertiarum editi sunt, omnes fere de S. Spiritu ejusque adventu mentionem ingerunt. Ita primus omnium Ambrosius in hymno *Jam surgit hora tertia,* quamquam totus fere sit in passione et agone Christi describendo, haec ait :

Votisque praestet sedulis
Sanctum mereri Spiritum.

De hymno *Nunc sancte nobis Spiritus,* cum in omnium ore sit, non est cur dicam. — 3, 1. Ignis symbolum est caritatis, Deus autem caritas est, quae sicut potentia patri, filio sapientia, imprimis Spiritui Sancto tribuitur. Hinc apud Lucam 3, 16. Johannem dicentem legimus : *Ipse* (Christus) *baptizabit in Spiritu sancto et igne.* Hinc Ambrosius :

De patris ergo lumine
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Colore verbi compleat.

Hinc in hymno Breviarii Romani canimus : *Flamescat igne caritas;* et in hymno *Beata nobis gaudia,* perperam olim Hilario Pictavensi tributo :

Ignis vibrante lumine
Linguae figuram detulit,
Verbis ut essent proflui
Et caritate fervidi.

XIII. B. fol. 84 a. — **Adnotanda** : Egregie sane Abaelardus in hymnis ad parvas, quas vocant, horas veluti in climace

assurgit. Ad Primam enim aurora fidei mentibus lumen, ad Tertiam sol caritatis calorem cordibus infundit, ad Sextam vero sol jam in meridie positus utriusque et luminis et caritatis perfectionem in beata Dei visione significat. Contra hymni antiqui unice fere circa gratiam horae diei convenientem efflagitandam versantur.— 1, 4. Visio Dei incendit, tum quia cognitio boni caritatem inflammat, tum quia medium visionis beatificae est **lumen gloriae** ; lumen vero et lucet et calorem infundit.

XIV. B. fol. 84 a. C. fol. 243 b. — **Lectiones variantes** : 3, 1, parentes exultant, C.— 4, 2, adderit, B. — 5, 1, temperet, B. — 7, 1. Quis in exsilio quaerat delicias, B.— 7, 2. Vel nudus utinam hic tandem exeat, B ; nudis utero, C. Praeferendam esse lectionem Codicis Calmontani tum ὁμοιοτελεύτων ratio tum sensus innuit, qui in altero versu 7, 2, nullus. — 7, 3. Vel nudae naufragi haerentes tabulae, C. *Nudeque* edidit Pitra ; sed sensus, ni fallor, est : naufragum, nudae tabulae haerentem. — 7, 4, scirposo litore, C. — 8, 4, similem, C. — 9, 1. O quem vere, B. Subjicit notulam Pitra inquiens : *Clarissimus vir Cousin omisit O !* Et recte quidem ; abundat enim, versum vitiat et deest in Calmontano. — 10, 4, continues eligunt, B ; Pitra male legit et edidit *comites ;* recte Calmontanus habet *concives.* — 11, 2, salem refugiunt, C. — 12, 2, fecit, B. — 12, 3 Bachi vel Cereris, B ; templi assidui, C, bona lectio et forsan melior. — 12, 4, prodii, B. — 13, 2, redde nos Domine, C. — 13, 3. Nullum qui deseras, C. — 14, 2, sit fragilitas, C. — 14, 3, natura valeat, C.

Adnotanda : Inserit hoc loco B hymnum praeclarum post prandium sive cantandum sive recitandum, quem in calce subdit C. — 1, 3, tam corpora psallant quam animae. « Neque enim omnis, qui labiis personat, cantat canticum novum, sed qui eo modo cantat ut apostolus admonet dicens : Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino » (Ephes. 5, 59). August. Lib. ad Honoratum, c. 17. — 6, 2. Da necessarium, tolle superfluum. Haec precatio est, quae in honore semper apud antiquos patres fuit. « Hanc ergo sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult : alioquin non ipsam vult et ideo nec decenter vult. Hanc optabat et pro hac orabat, qui dicebat : *Divitias et paupertatem ne dederis mihi, constitue autem mihi, quae necessaria sunt, sufficienter* » (Prov. 30, 8). August. Epist. 130 ad Probam c. 6 : Similiter in hymno matutino Synesius.

Πενίας ἐκτὸς ἐλαύνων
Χθονίαν τε κῆρα πλούτου.

7, 1. Cfr. 1 Cor. 7, 31 ; Heb. 11, 13 ; Heb. 13, 14 ; August. Serm. 234. de diversis 87 ; Serm. 32, de verbis Domini 2. — 10, 2 sq. Cfr. Ps. 48, 13 et 21. — 11, 2. Cfr. Matth. 7, 13 sq., Luc. 13, 24. — 13, 4. Cfr. Matth. 6, 28 ; Luc. 12, 27.

XV. B fol. 84 b. — **Adnotanda** 2, 2. Terris immergere. In memoriam hae voces vocant ea, quae disserit Augustinus, de Genesi ad. lit. l. 1, c. 10 : « Non tamen in alia parte non est dies, ubi praesentia solis est ; nisi forte poeticis figmentis cor inclinandum est, ut credamus solem mari se immergere atque inde lotum ex alia parte mane surgere ». — 2, 3 sq. Vespertinae horae ex sententia Abaelardi (cfr. 2, 1 sqq.) sunt Nona, Vesperae, Completorium, Nocturni, matutinae : Laudes, Prima, Tertia, Sexta. Et recte quidem, cum hymnus horae nonae in Breviario Romano haec habeat :

Largire clarum vespere,
Quo vita nunquam decidat.

3, 2. Octava gloriae. Ad hanc alludit illud Ambrosii : « Sicut enim spei nostrae octava perfectio est, ita octava summa virtutum est ». In Luc. l. V, c. 6. — 3, 4. Ob animum versantur hymnographo quatuor virtutes cardinales.

XVI. B fol. 84 b. C. fol. 42 a. — **Lectiones variantes** : 1, 1. Octavae titulo, B, quod nullum sensum admittit ; recte titulos, C. — 3, 4, quorum sors Dominus, B et C exhibent ; nescio quo pacto cl. Pitra ediderit *quorum fons Dominus*. — 4, 3. Hac ipsa die Dominus paraclitum, B ; recte Cousin, cui C suffragatur, ediderat *Dominus die*, id quod rhythmi ratio exigit. — 4, 4, in aeram Spiritum, B, contra sensum et metri leges. — 5, 1, addite, B. — 5, 2. Pitra in Codice Bruxellensi legit *diei Dominicam*, id quod correxit in *diem Dominicam ;* recte Calmontanus : *dici Dominicam*. — 6, 1, dehinc palatium, C, lectio, quae se satis ipsa insinuat. — 8, 3, ipsi quoque consecrent. B ; correxit Pitra et edidit : *Ipsi haec consecrent ;* recte C : *Ipsique consecrent*.

Adnotanda : 1, 1. Octavae titulos. « Quid est quod iste dicit :

In diebus octo post haec verba ? Ne forte quia is, qui verba Christi audit et credit, resurrectionis tempore gloriam Christi videbit ; in octava enim die facta est resurrectio, *unde et plerique psalmi in octavam inscribuntur* ». Ambros. In Luc. l. VII, c. 6. — Modo plane egregio Abaelardus hoc hymno sacramenta diei dominicae celebrat ; cui cum satis affinis sit sequentia dominicalis, quam ex Codice Carnotensi exscriptam nuper publici juris feci, pauca hic ex eadem excerpta interserëre liceat. Quod enim Abaelardo gloriam dominicae diei celebraturo ad instar exordii est, non minus apte Prosator Carnotensis ipsi fini reservavit :

Laxa culpas septenares, quibus te offendimus,
Qui septenum festivamus ipsis obsequentibus,
Emitte de tua sede septem dona spiritus,
Post septenum vitae nostrae junge nos coelestibus.

2, 1, sqq. — Primum mysterium, cujus dominica dies memoriam innovat, resurrectio Domini est :

Tu resurgis in hac die, leo de tribu Juda,
Ut surgamus a peccatis, ipse nobis condona.

4, 1, sqq. — Alterum est Spiritus Sancti in discipulos effusio :

In hac die commutatur Judaïsmi sabbatum,
In qua misit Deus pater aeternum paraclitum.

5, 1, sqq. Peculiare Abaelardo est commemoratio dominicae, quae palmarum vocari consuevit, mysteriorumque in ea gestorum : triumphalis ingressus in urbem (5, 1, sqq), vendentium numulariorumque de templo ejectionis (6, 1, sq. Cfr. Matth. 21, 12), denique caeci in templo lumine donati (6, 3, sq ; Matth. 21, 14). Quae omnia imago sunt judicii ultimi ; adveniet enim rex triumphator in nubibus cum potestate magna (7, 2), suos lumine gloriae illustrans (7, 3), pravos de regno suo ejiciens (7, 4). Neque minus peculiare poetae nostro, quae (8, 1, sqq), de die dominica, quam solis diem pagani veteres appellabant, subjicit. Confer tamen quae apud Monium nº 52, habet hymnus incerti auctoris :

En, die solis congrue
Nascitur sol justitiae.

E contra et Carnotensis hymnographus quaedam habet, quae apud Abaelardum desideres. Die enim dominica mundum ut conditum ita et reparatum Verbumque humana carne assumpta mundo natum fuisse asseverat :

Haec dierum prima dies, in qua orbis conditur,
Postquam pater protoplaustus ex culpa dejicitur,
Quem reparans Deus lapsum hac die progreditur,
De virgine factus homo redemptor producitur.

Sed haec de his dixisse nobis sufficiat.

XVII. B fol. 85 a. — **Lectiones variantes et Adnotanda** : 2, 1. Et cum ferat non hoc B, quem codicem sequitur Pita ; bene vocum sequelam immutavit Cousin ad normam rhythmi : *Et cum non ferat hoc.* — 3, 1 sq. hebdomadam B ; recte emendavit Cousin *hebdomada*. Male sensum versuum interpretatus est Pitra in notula scribens : *Completa jam septima hora diei poscimus requiem, videlicet hebdomadam laudum seu coelum.* Hebdomas laudum enim non coelum significat sed septenarium horarum canonicarum numerum (secundum illud : septies in die laudem dixi tibi) ; itaque jungendum : Hora diei septima, completa laudum hebdomada, tu nostro, domine, benedic sabbato. Neque hoc sabbatum coeleste illud est, quod finem nesciat, sed quietem noctis significat, quae ad alteram laudum hebdomadam die sequenti incipiendam cantorum vires reparet. — 4, 1 sqq. Ad collectam completorii adludit poeta : Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam (4, 1) et omnes insidias inimici ab ea longe repelle (4, 2), angeli sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant (4, 3), et benedictio tua sit super nos semper ; cfr. etiam 1 Pet, 5, 8. — 4, 4. Cfr. Cant. 5, 2.

XVIII B fol. 85 a. — **Lectiones variantes** : 2, 3. Similitudine quadam a singula, post, B. Pitra, quod tamen sensu caret ; legendum ad singula. — 3, 1. Dunc incomposita, B ; addit Pitra notulam : « Clarissimus vir Cousin edidit *Tunc* » ; sed ipse Pitra nihil edidit aliud nisi *Tunc*, sed puto, voluisse eum edere *Nunc* ; jam supra enim XI, 3, 1, litteras D et N confundentem vidimus. — 3, 4, aetas eterrena, B. — 4, 4, infantiam, B.

Adnotanda : 1, 1 sq. « Sex aetates saeculi senarius iste dierum, quibus mundus perfectus est atque adornatus, exprimit ». Abael. Hexaem. ap. Migne, l. c. p. 771. — 2, 2. Idem ibidem : « Confusa itaque illa nec adhuc distincta congeries elementorum primam mundi aetatem sine lege et disciplina incultam et rudem bene figurat, quae infantia mundi vocatur: et bene infantia necdum e documento legis verba Dei formare valens, sicut infantes nondum loqui sufficiunt. Deleta haec est aetas diluvio, sicut eorum memoria, quae in infantia geruntur, per oblivionem delentur ». Adnotat ad hunc locum Pitra: Cum ad S. Dionysii moraretur Abaelardus, in venerabilis, Bedae inciderat opera, hinc forte, videlicet ex capitibus 16 et sequentibus libri de temporibus haec hausit. « Hausit utique sed non descripsit ». Conferatur v. g. cum supra dictis locus Bedae (Hexaem. l. 1) : « Hucusque primordia mundi nascentis juxta sensum literae dixisse sufficiat; libet autem paucis intimare, ut etiam ordo sex illorum sive septem dierum, in quibus factus est, totidem ejus aetatibus conveniat. Primus namque dies, in quo dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux, primae aetati congruit, in cujus initio mundus idem factus et homo in deliciis paradisi voluptatis positus est, ubi praesente gratia sui conditoris malorum omnium liber ac nescius frueretur; sed hic dies ad vesperam jam coepit declinare, cum protoplasti peccando felicitatem patriae coelestis perdiderunt atque in hanc convallem lacrimarum dimissi sunt..... Plena autem vespera diei hujus advenit, cum crebrescentibus vitiis humani generis corrupta est omnis terra coram Deo et iniquitate repleta, adeo ut deleri diluvio omnis caro praeter, quos clauserat arca, mereretur ». Magis succinte eadem perstringit in libro commentariarum in Genesin, c. 2. a verbis « Hactenus opera etc. » ; fuse vero Augustinus in Evang. Joh. Tract. 9.

XIX. B, fol. 85 b. — **Lectiones variantes** : 2, 2, aqua B. — **Adnotanda** : Ad rem hymni Abaelardus in Hexaemeron : « Secunda aetas diluvio non deletur, cum quisque eorum, quae in pueritia gesserit recordari valeat. In hac aetate arca in diluvio fideles conservavit et quasi firmamentum aquis interpositum eos ab aquis desuper compluentibus et ab aquis inferius inundantibus illaesos custodivit ». Jam vero Beda in opere synonymo : « Secunda die factum firmamentum in medio aquarum et secun-

da aetate saeculi area, in qua reliquiae generis humani et semen, ut ita dixerim, servabatur aetatum, posita est in medio aquarum, quas certatim hinc rupti fontes omnes abyssi, inde apertae coeli cataractae fundebant. Sed et hic inclinatus est ad vesperam dies, cum se nationes oblitae proximae vel irae vel misericordiae Dei contulissent ad aedificandam superbiae turrim; plenam vero accepit vesperam. quando cum confusione linguarum humani generis est disscissa societas ».

XX. B, fol. 85 b. — **Adnotanda** : In Hexaemeron Abaelardus : « Tertia aetate lex data est, quae fluxum carnalis concupiscentiae ab antiquo populo timore poenarum coerceret, sicut die tertia ab inferioribus aquis terra est exonerata et statim germinans terrenam sobolem in herbis et arboribus produxit, quia populus antiquus terrena potius quam cœlestia desiderans, terrenam accepit promissionem et terrenis maxime desideriis adhaerens, quasi terrena generatio fuit atque terrae totus innitens et in terrenis vitam suam constituens ». Similiter Beda in opere homonymo : « Tertio die confluentibus in loca sua aquis, arida apparuit terra et mox herbis virentibus ac frondentibus est vestita nemoribus ; et aetatis initio tertiae separatis in loca sua gentibus idolatris, quarum error instabilis et vanis simulacrorum doctrinis tamquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene significatur, semen patriarcharum ab earum societate diremptum est ac spiritali fruge fecundatum.... Verum hic quoque ad vesperam vergere coepit dies, cum eadem gens Israelitica et fidem patriarcharum et ceremonias datae sibi legis abjiciens, exterarum gentium et polluta sceleribus et servitio depressa est. Supervenit jam vespera, quando ipsa gens una cum rege, quem sibi neglecto Deo elegerat, alienigenearum est gladio maxima ex parte deleta ».

XXI. B, fol 85. b.— 1, 1 sq. Celebris est apud theologos distinctio timoris filialis atque servilis ; atque hunc ipsum, voce utentes sat barbara in « simpliciter servilem » et « serviliter servilem » dividebant, quorum alter « affectum ad peccatum » tollit, alter relinquit. Atque uti nihil fere in theologicis disciplinis invenire est, quod non inter primos Augustinus excogitaverit, distinxerit ceterisque divinius expresserit, ita et de duplici isto timore, servili et filiali, seu ut ipse loquitur

servili et *casto*, copiose tractat Sermone praesertim de verbis apostoli 161. De timore serviliter servili accipiendum, quod alio in loco profert : « Quid est magnum timere malum ? Magnum est non facere malum? Magnum est amare bonum? Nam et latro timet malum et, ubi non potest, non facit, et tamen latro est. Lupus venit ad ovile ovium, quaerit invadere, quaerit jugulare, quaerit devorare : vigilant pastores, latrant canes; nihil potest, non aufert, non occidit, sed tamen lupus venit, lupus redit ». Serm. 178 de verbis apost. De altero vero timore:« Male times? ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas... est enim quidam castus timor quasi paedagogus legis ». Serm. 161 de verbis apost. n. 8. Et paulo post : « Intrat ergo caritas, pellit timorem. Non autem intrat et ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa, sed illum castum permanentem in saeculum saeculi ». Ibid. n. 9.

XXII. B, fol. 85 b. — **Lectiones variantes** : 1, 3, sic ferret, B.— **Adnotanda**: Mirum est, quod hoc loco Abaelardus ordine inverso in hymno ad Vesperas dicat de quarta mundi aetate, cum adhuc de aetatibus in hymnis ad Laudes dixerit. — 1, 3. Alludit ad 1. Cor. 13, 8 : *Caritas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* — 3, 1. « *Plenitudo enim legis caritas.* Ergo : *protegit in aquis superiora ejus* quid dicit? In omnibus scripturis supereminentissimum locum caritas obtinet, non ad eam adspirant nisi boni, hanc nobiscum non communicant mali : possunt communicare baptismum, possunt communicare cetera sacramenta, possunt communicare orationem, possunt communicare istos parietes et istam conjunctionem : caritatem nobiscum non communicant. Ipse enim est fons proprius bonorum ». August. Enarr. in Ps. 103. Serm. I, n. 9.

XXIII. B, fol. 86 a. — **Lectiones variantes** : 1, 3, *sit transmigratio*, ita ad fidem Codicis Bruxellensis Pitra ; nihil tamen dubito, quin legendum : *fit transmigratio.* — 2 a, 1, perfecti noscitur, B, quod emendandum existimo ut supra. — 2, 2. Verbum excidit duarum syllabarum ; et nulla certe difficultas est inveniendi verbum, quod et rhythmo et sensui non desit ; ita si *amat* suppleveris, optime omnia se habebunt ; sed sexcenta ejusmodi vocabula prostant, neque ulla est ratio, cur

uno neglecto aliud eligas. Unde satius visum est, lacunam non repletam relinquere.

Adnotanda. De hac aetate Abaelardus loco quo supra : « Quarta die facta luminaria lucem prophetarum post legem significant, longe apertius de Christo loquentium quam lex antiqua fecerat sicut dicit Daniel : *Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia tam in viris, ut in Samuele, Nathan, quam in feminis, sicut in Anna*. Proprie namque a Samuele tempus prophetarum incepit, sicut in Actibus Apostolorum, ubi scriptum est : *Et omnes prophetae a Samuel et deinceps*, diligenter exprimitur. Beda etiam attestante, dum locum illum exponeret dicens : Quamvis patriarchae et sancti priorum temporum multa de Christo dictis factisque prophetaverint tempus tamen proprie prophetarum, eorum dico, qui de Christi Ecclesiaeque mysterio manifeste scripserunt, a Samuele exordium sumpsit et usque ad Babyloniae captivitatis solutionem permansit ». — Beda vero in Hexaemeron : « Quarta die luminaria coelum accepit et quarta aetate praefatus Dei populus nova est factus claritate conspicuus, per imperium David et Salomonis aliorumque regum Deo auctore regnantium, per nobilissimum illud, quod Salomon Deo condidit, templum, per signa prophetarum, quae cunctis regum eorundem non destiterunt florere temporibus, perque illud maxime, quod primo et praeeminentissimo regum sibi placentium juravit Dominus dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem meam* (Ps. 131, 11). Verum et hic ad vesperam dies inclinari cœpit, cum postmodum et reges iidem et populi templum legesque Dei spernentes vastati ac dilacerati sunt ab hostibus. Gravissima vero ei non solum vespera sed nox succedit cum totum illud regnum eversum, templum incensum, populus est in Babyloniam captivus omnis abductus ».

XXIV. B, fol. 86 a. — **Lectiones variantes** : 3, 3. Ad hunc versum in notula Pitra : *Codex habet injuxerit, clarissimus vir Cousin injunxerit.* Bene emendavit cl. Pitra *inunxerit*, sed bene legit cl. Cousin. Codex enim Bruxellensis reapse habet injunxerit.

Adnotanda : Argumentum hymni in Hexaemeron ita exhibet Abaelardus : « Quinta aetas quasi senium mundi defectum praeteritorum bonorum designat, cum jam patriarchae et prophe-

tae pertransissent, atque unctio ad alienigenam transferretur, non jam pristino ritu sacrificium celebraretur, quod etiam Babylonica captivitas abstulerat. In hoc quidem senio jam mundo languescente missus est salvator, qui veterem renovaret hominem, baptismum praedicaret : in quo quidem baptismo homines veterem hominem deponentes et novum induentes sicut scriptum est : *Quicunque baptizati estis, Christum induistis* (Rom. 6, 3), quasi ex aquis animalia producta sunt ». — Idem argumentum apud Bedam : « Quinto die produxerunt aquae reptilia animarum viventium et volatilia volantia super terram sub firmamento cœli ; et quinta aetate creverunt filii transmigrationis et multiplicati sunt in Babylone, quae saepe aquarum nomine designatur. Quorum plurimi ibidem quasi in aquis pisces residere, e quibus tamen erant nonnulli, qui velut ceti magni dominari magnis [lege : magis] fluctibus saeculi quam servire studuerunt, quia nullo terrore ad idolatriam depravari potuerunt. Alii soluta captivitate quasi acceptis pennis libertatis ad terram Israel reversi sunt, et instar volantium tota intentione cœlestia petebant, ita ut etiam templum ac civitatem Dei reaedificare, legem quoque ejus summa instantia restaurare niterentur. Sed appropiabat vespera, cum postmodum inter alias scelerum tenebras etiam domesticis contra se invicem dissidere conflictibus patriaeque suae Romanis ipsi fuere proditores ; quae et advenit, cum eos non solum tributarios effici, sed etiam alienigenae regis contigisset imperio subdi ». — 3, 3. Confer ad hunc locum. Ps. 44, 8 ; Is. 61, 1 ; Dan. 9, 24 ; Luc. 4, 18 ; Act. 10, 38 ; Heb. 1, 9.

XXV. B, fol. 86 a. — **Adnotanda** : 2, 1 sq. Praeclare Abaelardus duobus hisce versibus Paulo auctore baptismi ritum interpretatur. Est enim secundum apostolum immersio quidem symbolum mortis et sepulturae veteris hominis, hominis peccati, emersio vero instar et imago resurrectionis novi hominis cum Christo resurgente. Ita enim ad Romanos scribens : *Consepulti enim*, ait, *sumus cum ipso per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Rom. 6, 4. Et ad Colossenses 2, 12 : *Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.* Conferantur etiam Bedae Commentarii in Genesim,

c. 1. « Allegorice autem producunt aquae reptilia animarum vivarum, homines scilicet renovatos in vitam per baptismi sacramentum. Facta sunt et volatilia sanctae animae ad superna volantes ».

XXVI. B, fol. 86 a. — **Lectiones variantes** : 2, 2. Bonorum est omnium, B; cui addit Pitra : « Clarissimus vir Cousin censet delendum esse *est;* verum bis alibi quoque eliditur syllaba ultima *um* ». Sed hic error est. Nescit Abaelardus elisionem censemusque cum Cousin delendum esse *est*.

Adnotanda : Adjicio primum, quae ad rem affert Abaelardus in Hexaemeron : « Sexta aetate homo renovatus in paradiso collocatur, quia post passionem Domini tantum aditus coelestis hominibus patuit, ut primo Sabbatum in anima, postmodum octavam in corpore simul et anima celebret. Unde et latroni dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. 23, 43), ut in hac aetate tantum coelum hominibus patere ostenderet ». — Paulo fusius eadem recurrunt apud Bedam : « Sexto die terra jumento, bestias et reptilia produxit, quo etiam die creavit Deus hominem primum Adam ad imaginem suam ac de latere ejus dormientis feminam creavit Evam; sexta aetate saeculi inter multos reprobos, qui merito serpentibus comparari poterant ac bestiis, propter saevitiam scilicet, et quia toto animo terrestribus inhaerere curis vel illecebris nati sunt; et sancti in Dei plebe perplures, qui ad similitudinem mundorum animalium verbum Dei ruminare, ungulam discretionis in via tenere bonae operationis, jugum divinae legis portare et de velleribus opus suum calefacere noverunt, quorum in evangelio utrorumque mentio est idonea, inter quos secundus Adam, mediator Dei videlicet et hominum, in quo tota plenitudo erat imaginis Dei, in mundo apparuit et de latere ejus in cruce dormientis exivit sanguis et aqua, de quibus sacramentis nascitur et nutritur Ecclesia, quae est mater omnium per orbem vera vita viventium, quod Evae nomen sonat. Unde de iisdem sacramentis dicit ipse Dominus : *Qui maducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* (Joh. 6, 55). Cujus diei vesperam jam nunc appropinquare cernimus, cum abundante per omnia iniquitate refrigescit caritas multorum. Adveniet autem multo tenebrosior ceteris, cum apparente homine peccati, filio iniquitatis,

qui extollitur et elevatur super omne, quod dicitur Deus aut quod colitur, tanta fuerit tribulatio, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi subsequente statim hora universalis judicii, de qua scriptum est: *Verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra* » ? Luc. 18, 8. In eumdem sensum Augustinus : « Sicut ergo sexto die fecit Deus hominem ad imaginem suam, sic invenimus sexto saeculo venisse Dominum Jesum Christum, ut reformaretur homo ad imaginem Dei. Primum enim tempus tamquam primus dies ab Adam usque ad Noe; secundum tempus tamquam secundus dies a Noe usque ad Abraham; tertium tempus tamquam tertius dies ab Abraham usque ad David; quartum tempus tamquam quartus dies a David usque ad transmigrationem Babyloniae; quintum tempus tamquam quintus dies a transmigratione Babyloniae usque ad praedicationem Johannis. Sextus dies jam a praedicatione Johannis agitur usque ad finem et post finem sexti diei pervenimus ad requiem. Modo igitur sextus dies agitur. Videte quid habeat titulus: *In diem ante Sabbatum, quando fundata est terra*. Jam audiamus ipsum psalmum, ipsum interrogemus, quomodo fundata est terra, ne forte tunc facta est terra. Nec in Genesi sic legimus. Quando ergo fundata est terra? Quando, nisi cum fit, quod lectum est modo in apostolo : *Si tamen statis in fide*, ait, *stabiles et immobiles?* Cum omnes, qui credunt per universam terram, immo stabiles sunt in fide, fundata est terra, tunc fit homo ad imaginem Dei, quod significat sextus ille dies in Genesi. Sed quomodo fecit illud Deus? Quomodo fundata est terra? Christus venit, ut fundaret terram. *Fundamentum enim nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus* » (I Cor., 3, 12). Aug. Enarr. in Ps. 102, c. 1.

XXVII. B, fol. 86 a. — **Lectiones variantes** : Hymnus in Codice a praecedenti haud distinguitur ; distinguendus tamen est, ut numerus hymnorum sufficiat, neque ullus est alius locus, in quo hanc separationem fieri, sensus nexusque rerum permittat. — 3, 4. Eique feminam, B ; correxit Pitra ejusque, correctio satis probabilis, licet et ea, quae Codex habet, intellectu et interpretatione non careant.

Adnotanda : 1, 2 sqq. Celebris est apud patres scriptoresque ecclesiasticos omnes dormientis Adam ad Christum in cruce

morientem comparatio. « De ipso sanguine et aqua, ita Augustinus (Serm. 5, de luctatione Jacob, n. 3), sanctificatur nata ecclesia. Et quando exivit sanguis et aqua de latere? Cum jam dormiret Christus in cruce. Quia Adam in paradiso somnum accepit et sic illi de latere Eva producta est ». Alia patrum effata hic congerere supersedeo, cum ista allegoria inter res omnium notissimas censenda sit. — 3, 1 sqq. De femina, non ad imaginem sed ad similitudinem tantum Dei facta, jam supra et Abaelardum et Bedam et Augustinum disputantes audivimus.

XXVIII. B, fol. 86 b. — **Lectiones variantes** : 3, 2, apprehendere, B. — **Adnotanda** : Hymnus succinctam continet synopsim earum rerum, quae in prioribus hymnis tractata sunt, versibus 2, 1 sqq., quae totidem sunt gradus ad aeternam sabbatizantium requiem; de qua Beda in Quaestionibus super Genesin de die septima : « Ipse tamen [Deus] illa requie nunquam caruit, sed significant, non percipere requiem suam nisi post perfectionem operis. Et ideo in hac die vesperam non successisse cognoscitur, quia requies nostra in perfectionem operis sine fine in gaudio erit ». Similiter Augustin. Enarr. in Ps. 92, n. 1 : « Ideo quia et ista transitura sunt opera bona valde, et sextus iste dies, quando perficiuntur opera bona valde, habet vesperam. In sabbato autem non invenimus esse vesperam, quia requies nostra non habebit finem; vespera enim pro fine ponitur ».

XXIX. B, fol. 86 b. — C, fol. 39 a. — **Lectiones variantes** : 2, 4, omne est, C. — 3, 3, exponens, C. — 3, 4, sentiens, C. — Hymnum edidit Mone, Lateinische Hymnen des Mittelalters I, 382 ex Codice Sangallensi 528 saec. 14. Cujus lectiones hic adjicimus : Strophe tertia secundam, quinta et sexta quartam antevertunt in Sangallensi. — 6, 1, Illic nec Sabbato. S.

Adnotanda : In Calmontano hymnus ponitur « Dominica prima post octavam Epiphaniae in primis vesperis ». — 2, 1, cfr. Apoc. 21, 2; 21, 10. Augustin. de cant. novo : « Currite velociter rectam viam, ipsa enim vos perducit ad patriam, ad illam patriam, cujus cives angeli sunt, cujus templum Deus, cujus splendor Filius, cujus caritas Spiritus sanctus : civitas sancta, civitas beata, civitas, ubi nullus perit amicus, quo nullus admittitur inimicus, ubi nullus moritur, quia nullus oritur, nullus infirmatur, quia incorrupta salute laetatur ». Hunc locum, nullum

est dubium, quin ob oculos habuerit Columbanus, cum scriberet :

Beata familia, quae in altis habitat,
Ubi senex non gemat neque infans vagiat,
Ubi laudes Domini nulla vox retinet,
Ubi nunquam esuritur, ubi nunquam sititur,
Ubi cibo superno plebs cœlestis pascitur,
Ubi nemo moritur quia nemo nascitur,
Ubi aula regia cœlestis pascitur,
In qua male resonans nulla vox audita est.

Cfr. Patricii Flemingi Hiberni Collectanea Sacra ed. altera, Lovanii 1667, p. 180.—4, 2. « Nemo quippe in hoc saeculo non peregrinus est, quamvis non omnes ad patriam redire desiderent ». Aug. Serm. 75 de verbis Evang. n. 2. In eundem sensum Cyprianus, libro de mortalitate, c. 26 : « Considerandum est, fratres dilectissimi, et identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo et tamquam hospites et peregrinos istic interim degere. Amplectamur diem, qui adsignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos et laqueis saecularibus exsolutos paradiso restituit et regno. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi ? quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti ? Patriam nostram paradisum computamus, parentes patriarchas habere jam coepimus. Quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus ?.... Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis et fidei Dominus Christus adspiciat, daturus eis gloriae suae ampliora praemia, quorum circa se fuerint desideria majora ». — 5, 2. Cfr. Ps. 136, 3.

PETRI ABAELARDI

HYMNORUM LIBELLUS ALTER

Complectens

HYMNOS DE TEMPORE

PRAEFATIO

Tripartitum est divini cultus officium. Doctor gentium in epistola ad Ephesios ordinavit dicens : « Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto loquentes vobismet ipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino » (1). Et rursus ad Colossenses inquit : « Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino » (2). Psalmi vero et cantica quoniam ex canonicis antiquitus praeparata sunt scripturis, nec nostro nec alicujus agent studio, ut modo componantur.

De hymnis vero cum nihil in superpositis distinctum habeatur scripturis, quamvis et nonnulli psalmi nomen hymnorum vel canticorum sanctorum inscriptum titulis habeant, passim a pluribus postea scriptum est et pro temporum et horarum seu festivitatum varietate quibusque proprii hymni sunt constituti, et hos nunc proprie hymnos appellamus, quamvis antiquitus indifferenter nonnulli tam hymnos quam psalmos dicerent quaelibet divinae laudis cantica rhythmo vel metro composita (3). Unde Eusebius Caesariensis Ecclesiasticae historiae libri secundi capitulo XVII. disertissimi Judaei Philonis laudes erga Alexandrinam sub Marco ecclesiam commemorans inter cetera adjecit : « *Post pauca rursum etiam de eo, quod psalmos faciant novos, ita scripsit :* Itaque non solum subtilium intelligunt hymnos, sed ipsi faciunt novos in Deum, omnibus eos et metris et sonis honesta satis et suavi compage modulantes » (4). Haud fortassis incongruum est, omnes psalmos Hebraice rhythmo

vel metro compositos et melica dulcedine conditos appellari etiam hymnos, juxta ipsam videlicet hymnorum definitionem, quam in praefatione prima posuimus (5). At cum jam psalmi ex Hebraeo in aliam linguam translati a rhythmi vel metri lege soluti sint (6), bene ad Ephesios, qui Graeci sunt, apostolus scribens separatim a psalmis hymnos distinxit sicut et cantica.

De his itaque quoniam nostrum saepe ingeniolum, dilectissimae Christi filiae, multis precibus pulsavistis, addentes insuper, quibus de causis id necessarium vobis videatur, vestrae jam petitioni, prout Dominus annuerit, ex parte paruimus. Superiori namque libello quotidianos feriarum hymnos, qui toti sufficere possint hebdomadae comprehendimus. Quos ita compositos esse cognoscatis, ut bipartitus sit eorum cantus sicut et rythmus, et sit una omnibus nocturnis melodia communis atque altera diurnis sicut et rhythmus. Hymnum etiam gratiarum post epulas exsolvendum non praetermisimus, secundum quod in evangelio scripto est : Hymno dicto exierunt (7).

Ceteros vero suprapositos hymnos hac consideratione digessimus, ut, qui nocturni sunt, suarum opera feriarum contineant, diurni autem ipsorum operum allegoricam seu moralem expositionem tradant. Atque ita factum est, ut obscuritas historiae nocti, lux vero expositionis reservetur diei. Superest de cetero vestris me orationibus adjuvari, ut optatum vobis munusculum transmittam.

XXX.

In Nativitate Domini.

In 1 Nocturno.

1. Verbo verbum * virgo concipiens,
Ex se verus * ortus est oriens,
A quo vera * diffusa claritas
Circumductas * abduxit tenebras.

2. Felix dies, * dierum gloria,
Hujus ortus * quae vidit gaudia,
Felix mater, * quae Deum genuit,
Felix stella, * quae solem peperit.

3. Quam beata * pauper puerpera,
Cujus partus * ditavit omnia,
Pauper, inquam, * sed celsa genere
Pontificum * et regum sanguine.

4. Vitae viam * in via peperit,
Hospitium * non domum habuit,
Regum proles * et cœli domina
Pro cameris * intravit stabula.

5. Obstetrices * in partu deerant,
Sed angeli * pro eis aderant,
Quorum statim * chorus non modica
Hujus ortus * edixit gaudia.

6. Defuerunt * fortassis balnea,
Sed, quam lavent, * non erat macula,
Non est dolor, * quam illa relevent,
Nec scissura, * quam illa reparent.

7. In excelsis * sit Deo gloria,
Pacis nobis * in terra foedera,
Quam super his * voces angelicae
Decantasse * noscuntur hodie.

XXXI

In 2 Nocturno.

1. Dei patris * et matris unicus,
In praesepi * pro cunis positus,
Angustias * praesepis sustinet,
Quem ambitus * coeli non continet.

2. Excipitur * vili tugurio,
Qui praesidet * coeli palatio,
Quis super hoc, * quis non obstupeat,
Cujus mentem * hoc non commoveat!

3. Pauper Deus, * imo pauperrimus
Sic factus est * pro nobis omnibus,
Quae sunt grates, * quae retributio
Super istis * a nobis Domino?

4. In praesepi * vagit ut parvulus
Qui concutit * coelum tonitribus,
Stratum habet * foeni reliquias,
Qui regibus * largitur purpuras.

5. Bestiarum * infertur pabulo,
Angelorum * ipsa refectio,
Instat inde * grex animalium,
Hinc angeli * praebent obsequium.

6. In excelsis * sit Deo gloria,
Pacis nobis * in terra foedera,
Quam super his * voces angelicae
Decantasse * noscuntur hodie.

XXXII

In 3 Nocturno.

1. Quam beatum * stratum hoc straminis,
Tantae latus * quod pressit virginis,
Quo parvulus * nascens excipitur,
Cujus palmo * coelum concluditur.

2. In sericis * reginae ceterae
Summo solent * dolore parere,
Vilis strati * beatus lectulus
Omnis fuit * doloris nescius.

3. Regum satis * in alimonia
Sunt subacta * nutricum ubera,
Educatur * lacte virgineo,
Virgo clauso * quem fudit utero.

4. Nulli regum * inter tot epulas,
Inter tantas * et tot delicias
Concessum est, * ut lacte virginis
Quis de suis * alatur parvulis.

5. Virgo pauper * fortassis esurit,
Quae parvulum * hoc lacte reficit,
Stupent coeli, * mirantur angeli
Obsequio * lactantis seduli.

6. In excelsis * sit Deo gloria,
Pacis nobis * in terra foedera,
Quam super his * voces angelicae
Decantasse * noscuntur hodie.

XXXIII

Ad Laudes.

1. Gaude, virgo, * virginum gloria,
Matrum decus * et mater, jubila,
Quae commune * sanctorum omnium
Meruisti * conferre gaudium.

2. Patriarchis * sanctis ac regibus
Te filiam * promisit Dominus
Te figurant * legis aenigmata,
Prophetarum * canunt oracula.

3. Te requirunt * vota fidelium,
Ad te corda * suspirant omnium,
Tu spes nostra * post Deum unica,
Advocata * nobis es posita.

4. Ad judicis * matrem confugiunt,
Qui judicis * iram effugiunt,
Supplicare * pro eis cogitur,
Quae pro reis * mater efficitur.

5. Pia mater, * pietas filius,
Ad hoc gignit, * ad hoc est genitus,
Ut salventur * servi per gratiam,
Quam exhibet * haec dies maximam.

6. In excelsis * sit Deo gloria,
Pacis nobis * in terra foedera,
Quam super his * voces angelicae
Decantasse * noscuntur hodie.

XXXIV

In Epiphania Domini

In 1 Nocturno.

1. Nasciturum * sive natum
   Coeli regem et terrae
   Miris signis * eo dignis
   Praedicarunt utraque.

2. Nam, Auguste, * te florente
   Solem cinxit corona,
   Inundavit * quod manavit
   Oleum de taberna.

3. Veniente * redemptore
   Servis datur libertas,
   Servitutis * jugum tollis
   Et, quem nescis, praesignas.

4. Interdicis * nec permittis
   Te dominum vocari,
   Ut venturo * possit Christo
   Decus hoc reservari.

5. Jani portas * tenet clausas
   Pax a Christo praemissa,
   Quae prophetae * quondam voce
   Mundo fuit promissa.

6. Pax in terris, * in excelsis
   Sit gloria, sit summa
   Regi summo, * patri, verbo,
   Spiritui per saecla.

XXXV

In 2 Nocturno.

1. Angelorum * stupent cantum
   Admoniti pastores,
   Magnos nova * ducit stella
   Metu languet Herodes.

2. Dat mandata * magis stulta
   Loquens eis in dolo,
   Sic illusus * fuit dolus
   Fraudulento fraudato.

3. Illi coeptam * tenent viam,
   Reperiunt, quem quaerunt,
   Et oblatis * tribus donis
   Per haec ipsum describunt.

4. Ad Herodem * ne redirent,
   Admonentur in somnis,
   Et divino * documento
   Sunt, quid agant, edocti.

5. Pax in terris, * in excelsis
   Sit gloria, sit summa,
   Regi summo, * patri, verbo,
   Spiritui per saecla.

XXXVI

In 3 Nocturno.

1. Consecrandas * intrat aquas
Baptizatus a servo,
Qui peccata * tollit nostra,
Qui non eget baptismo.

2. Baptizatos * qui baptismo
Vere suo baptizat,
Statim coeli * sunt aperti,
Quos peccatum claudebat.

3. Rêvelatus * est descensus
Spiritus in columba,
Baptizandis, * renascendis
Gratia demonstrata.

4. Est audita * vox paterna
Filium protestata
Et renatos * facit veros
Filios illa data.

5. Avis blanda * mansueta
Deum monstrat placatum,
Nec divinae * quemquam aeque
Gratiae tenet typum.

6. Pax in terris, * in excelsis
Sit gloria, sit summa,
Regi summo, * patri, verbo,
Spiritui per saecla.

XXXVII

Ad Laudes.

1. Qui baptismo * nobis suo
   Aquas sanctificavit,
   Has in merum * vertit vinum
   Et convivas refecit.

2. Unde clara * dies ista
   Primo fastu resplendet,
   Qua per tanta * mundo signa
   Mundi salus apparet.

3. Ne post tanta * vel majora
   Signa credit Judaeus,
   Quem ad unam * statim stellam
   Requisivit Chaldaeus.

4. Elementa * suum cuncta
   Recognoscunt auctorem,
   Te nec signa * nec lex ipsa
   Movent, miser, ad fidem.

5. Si nec signis * nec prophetis
   Arbitraris credendum,
   Exsul longa * saltem poena
   Tuum disce reatum.

6. Pax in terris, * in excelsis
   Sit gloria, sit summa,
   Regi summo, * patri, verbo,
   Spiritui per saecla.

XXXVIII

In Hypapante Domini.

In 1 Nocturno.

1. Adorna, Sion, thalamum,
Quae praestolaris Dominum,
Sponsum et sponsam suscipe
Cum cereorum lumine.

2. Prudentes illi virgines,
Vestras aptate lampades
Et occurrentes dominae
Surgant adolescentulae.

3. Faces accendant famuli
Veroque mundi lumini
Domus omnis cum omnibus
Occurrat luminaribus.

4. Beate senex, propera,
Promissa comple gaudia
Et revelandum gentibus
Revela lumen omnibus.

5. Devota Deo vidua
Ejusque templo dedita,
Pari propheta gaudio
Et confitere Domino.

6. Deo patri cum filio,
Cum spiritu paraclito,
Ut est una substantia,
Sic et una sit gloria.

XXXIX

In 2 Nocturno.

1. Parentes Christum deferunt,
In templo templum offerunt,
Legi parere voluit,
Qui legi nihil debuit.

2. Offer, beata, parvulum,
Tuum et patris unicum,
Offer, per quem offerimur,
Pretium, quo redimimur.

3. Procede, virgo regia,
Profer natum cum hostia,
Tollantur aves mysticae,
Tibi vel ipsi congruae.

4. Monstret columba simplicem,
Designet turtur virginem,
Pauper quidem haec hostia,
Sed magna sunt mysteria.

5. Haec quidem erat pauperum,
Cum esset agnus divitum,
Sed agni veri latio
Non eget agno mystico.

6. Deo patri cum filio,
Cum spiritu paraclito,
Ut est una substantia,
Sic et una sit gloria.

XL

In 3 Nocturno.

1. Qui paupertatem admonet,
Hanc in se prius exhibet
Deus dives in omnibus,
Ut nos ditet, pauperrimus.

2. Factis primum exhibuit,
Quod verbis tandem docuit,
A cunis mox incipiens
Et re vocem praeveniens.

3. Hic est ille funiculus
In manu viri lineus,
Subtilis evangelicae
Sermo legis in opere.

4. Hic est mensurae calamus,
Quem gestat manu parvulus,
Ut supra montem positum
Mensuret aedificium.

5. Mensurae quippe calamus
Liber est evangelicus,
Quem manu fertur gerere,
Qui scriptum complet opere.

6. Hoc super ipsum posita
Mensuratur ecclesia,
Dum in hoc quisque percipit,
Quantum crescit et deficit.

7. Deo patri cum filio,
Cum spiritu paraclito,
Ut est una substantia,
Sic et una sit gloria.

XLI

Ad Laudes.

1. Omnis sexus et quaelibet
Aetas plaudat et jubilet,
Monet omnes ad gaudium,
Qui venit, salus omnium.

2. Gaude, vir, gaude, femina,
Communi laeti gloria,
Virum, quem Deus induit,
Ignara viri peperit.

3. Congaude virgo virgini,
Mater est haec altissimi,
Nupta nuptae congaudeat,
Quæ mox conceptum praedicat.

4. Conclusus adhuc utero
Quo potens infans gaudio
Vitam mundi, quam senserat,
Mundo statim annuntiat.

5. Hinc senex, inde vidua
Laude Christum prophetica
Confitentes dominicam
Ostenderunt praesentiam.

6. Deo patri cum filio,
Cum spiritu paraclito,
Ut est una substantia,
Sic et una sit gloria.

XLII

In Parasceve Domini.

In 1 Nocturno.

1. Hæc nox, carissimi, * nox illa flebilis,
Qua comprehenditur * dies a tenebris,
Piis fidelium * est plena lacrimis,
Aquas imanitas * compellit sceleris.

2. Hac nocte proditor * est per se proditus,
Qui lupus fuerat * permixtus ovibus,
Agnus ad victimam * per lupum traditus,
Scelus antidotum * fecit sceleribus.

3. Dum sacrum celebrat * Christus mysterium
Egressus traditor * sanctum collegium
Ad pravum congregat * pravos consilium,
Ut his in pretio * det mundi pretium.

4. Tu tibi compati * sit fac nos, Domine,
Tuæ participes * ut simus gloriae,
Sic præsens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

XLIII

In 2 Nocturno.

1. Mercator omnium, * Juda, stultissime,
Cum mortis emptio * sit vitam vendere,
Ne quid susceptio * prosit pecuniae,
Quem vendis, praevenis * mortis in funere.

2. Ut patientia * probetur traditi,
Monstrat hunc traditor * per signum osculi,
Pioque impie * permixta nomini
Nec salutatio * defuit crimini.

3. Tentus ligatus est * a servis Dominus,
Ut servos solveret * peccati nexibus,
Ut reus traditus * reis judicibus
Supremus omnium * judex justissimus.

4. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

XLIV

In 3 Nocturno.

1. Solus ad victimam * procedis, Domine,
Morti te offerens, * quam venis tollere,
Quid nos miserrimi * possumus dicere,
Qui, quae commisimus, * scimus te luere.

2. Nostra sunt, Domine, * nostra sunt crimina,
Qui tua criminum * facis supplicia,
Quibus sic compati * fac nostra pectora,
Ut vel compassio * digna sit venia.

3. Nox ista flebilis * praesensque triduum,
Quo demorabitur * fletus, sit vesperum,
Donec laetitiae * mane gratissimum
Surgente Domino * sit moestis redditum.

4. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

XLV

Ad Laudes.

1. Noster et omnium * salvator, Domine,
Tam rex quam pontifex * cunctorum maxime,
Annae judicium * subis et Caïphae,
Falso pontificis * sumentum nomine.

2. Horum ludibria * priora pateris,
Primas hic alapas * et sputa suscipis,
Velata facie * coram his caederis,
Propheta, clamitant, * quis te percusserit?

3. Quis hoc fidelium * audire perferat
Aut quis hoc audiens * non homo ingemat,
Quis siccis oculis * hoc scelus audiat
Quem haec saevitia * saevum non molliat?

4. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

XLVI

Ad Primam.

1. Damnandus, Domine, * Pilato sisteris,
Et ad spectaculum * ut reus traheris,
Coronam spineam, * sceptrum arundinis
Et vile coccinum * sumens illuderis.

2. Gentilis judicis * mentem crudelitas
Et innocentiae * commovet puritas,
Flagellis praevenit * mortis angustias,
Ut vel sic parcere * possit impietas.

3. Qui caesum denique * coactus tradere,
Ut ab hoc animum * purgaret scelere,
Manus abluere * decrevit publice,
Mundum se profitens * a justi sanguine.

4. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

XLVII

Ad Tertiam.

1. Jam hora tertia * diei venerat,
Cum plebs obtinuit, * quod postulaverat,
Quem crucifigerent, * praesul tradiderat,
Qui crucem bajulans * jam crucem tolerat.

2. Ubi Calvariam * pervenit Dominus,
Qui locus reis est * ad necem deditus,
Amaro poculo * delusum primitus,
Ut crucifigerent, * denudant vestibus.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

XLVIII

Ad Sextam.

1. Sexta, qua Dominus * crucem ascenderat,
Solis obscuritas * mundum obnubilat,
Tamquam adspicere * scelus abhorreat,
Quod mundus proprium * in solem perpetrat.

2. Dum crucem sustinens * sol verus patitur,
Sol insensibilis * illi compatitur,
Quo summum hominum * scelus arguitur,
Et quantis tenebris * errant, ostenditur.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuæ participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

XLIX

Ad Nonam.

1. Nona, qua vera lux * poena finierit,
Subtractam lucem hanc * mundo restituit,
Ut beneficio, * quod mundo reddidit,
Promittat veniam * illis, quos terruit.

2. Luce jam reddita * stupent, quod cernitur,
Motu mirabili * terra concutitur,
Cum saxis pariter * et velum scinditur,
Locus, quo dormiunt, * sepulchri panditur.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

L

Ad Vesperas.

1. Facto jam vespere * cruce depositum
Et aromatibus * conditum Dominum
Diligens sepelit * cura fidelium,
Monstrat, qui fuerat, * pium obsequium.

2. Ingenti lapide * sepulchrum clauditur,
Quod cura maxima * fideque [colitur],
Immundis aditus * sic intercluditur
Quo mirabilius * resurgat, agitur.

3. Nec minus gloriae * confert Dominicae,
Quod pravi deputant * suos custodiae,
Ut sic iniquitas * victa perspicue
Confusa comprimat * ora blasphemiae.

4. Aut ergo mortuum * reddat custodia,
Ut ei salva sint * promissa praemia,
Aut, quae conspexerit, * fatens magnalia,
Nostra sic praedicet * nobiscum gaudia.

5. Tu tibi, compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LI

Ad Completorium.

1. Pias vigilias * agendo feminae
Viris cedentibus * non norunt cedere,
Custodes positos * vident intrepidae,
Minantes gladios * cernunt tutissime.

2. Facta percussio, * quam pastor tulerat,
Gregis arietes * metu disperserat,
Oves intrepidas * amor servaverat
Et foras caritas * timorem miserat.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LII

Sabbato Sancto.

Nocturno.

1. Sexta jam homine * creato feria
Quievit Dominus * cessando septima,
Plena mysteriis * magnis historia
Praesentis temporis * praesignat opera.

2. Heri dominica * facta est passio,
Et consummata est * nostra redemptio,
Ut *Consummatum est* * hoc in mysterio
Dictum intelligi * possit a Domino.

3. Finitis itaque * tantis agonibus,
Quibus diabolum * prostravit Dominus,
Quidam paratus est * quietis lectulus,
Quo requiesceret * sepulchri loculus.

4. Hoc tibi mortuo, * Joseph, paraveras,
Tuam et omnium * vitam quo tumulas ;
Hunc illi lectulum * terrenum commodas,
Per quem in lectulo * coelesti recubas.

5. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LIII

Ad Laudes.

1. Dormit hoc triduo * leonis catulus,
Sicut praedixerat * sermo propheticus,
Donec hunc suscitet, * rugitus patrius,
Cum dies venerit, * quo fit hoc, tertius.

2. Avis mirabilis * phoenix et unica,
Quam et lux reparat, * ut ferunt, tertia,
Non minus peragit * Christi mysteria
Vel resurgentium * promittit gaudia.

3. Haec cum in funere * formam resumpserit,
Alasque pristinas * rursum induerit,
Volatu solito * se sursum erigit,
Cum caelos etiam * Christus ascenderit.

4. Sexus est comparis * haec avis nescia,
Sicut est unica * sic semper integra,
Similitudine * Christi plenissima
Transcendit * bestias et volatilia.

5. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LIV

Ad Primam.

1. Leonis catulum * Judam quis suscitet,
Jacob interrogat, * cum hinc non dubitet;
Cum ergo quaerit hoc, * super hoc obstupet,
Ut rem mirabilem * nobis insinuet.

2. Ad praedam catulum * dicit ascendere,
Ut in hac etiam, * qua dormit, requie
De lupi faucibus * illam erueret,
Quod fit per animam * defuncto corpore.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LV

Ad Tertiam.

1. Ascensus catuli, * quo praedam eruit,
Fuit, cum Dominus * crucem ascenderit,
In qua nos redimens * cum exspiraverit,
Justos de tartaro * confestim eripit.

2. Cum jam ascenderit * ad praedam catulus,
Requiescentis est * factus accubitus,
Quia, cum fuerit * cruce depositus,
Sepultus triduo * quievit Dominus.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LVI

Ad Sextam.

1. Adhuc ut dormiens * pausat leunculus,
Sed, ut evigilet, * prope est terminus,
Somni quam funeris * dicendus potius,
Velox dominicae * mortis est transitus.

2. Torrentis impetum * istum intellige,
De quo meminimus * psalmistam dicere,
Quod de hoc biberis * in via, Domine,
Mortis videlicet * sceleris calice.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LVII

Ad Nonam.

1. Non naturalis est * sed adventitius,
Quo Christus biberit, * torrentis rivulus,
Quia, qui fuerit * peccati nescius,
Mortis sententiae* non erat subditus.

2. Hoc mortis poculum, * quod per diabolum
Nobis transfusum est *in pœnae debitum,
Illud intellige* Goliae gladium,
Quo David stravit hunc * non habens proprium.

3. Tu tibi compati * sic fac nos, Domine,
Tuae participes * ut simus gloriae,
Sic praesens triduum * in luctu ducere,
Ut risum tribuas * paschalis gratiae.

LVIII

In Paschate Domini.

In 1 Nocturno.

1. Christiani, plaudite,
   Resurrexit Dominus,
   Victo mortis principe
   Christus imperat,
   Victori occurrite,
   Qui nos liberat.

2. Superato zabulo,
   Resurrexit Dominus,
   Spoliato barathro
   Suos eruit,
   Stipatus angelico
   Cœtu rediit.

3. Fraus in hamo fallitur,
   Resurrexit Dominus,
   Quae dum carne vescitur
   Circumposita,
   Virtute transfigitur
   Carni insita.

4. Captivatis inferis,
   Resurrexit Dominus,
   Ditatisque superis
   Coelum jubilat,
   Hymnis, psalmis, canticis
   Terra resonat.

5. Deo patri gloria,
   Resurrexit Dominus,
   Salus et victoria
   Christo Domini,
   Par honor per saecula
   Sit spiritui.

LIX

In 2 Nocturno.

1. Da Mariae tympanum,
Resurrexit Dominus,
Hebraeas ad canticum
Cantans provocet,
Holocausta carminum
Jacob immolet.

2. Subvertens Aegyptios
Resurrexit Dominus,
Rubri maris alveos
Replens hostibus,
Quos involvit obrutos
Undis pelagus.

3. Dicat tympanistria :
Resurrexit Dominus,
Illa quidem altera
Re non nomine,
Resurgentem merita
Prima cernere.

4. Cantet carmen dulcius,
Resurrexit Dominus,
Reliquis fidelibus,
Mixta feminis
Cum ipsa narrantibus
Hoc discipulis.

5. Deo patri gloria,
Resurrexit Dominus,
Salus et victoria
Christo Domini,
Par honor per saecula
Sit spiritui.

LX

In 3 Nocturno.

1. Golias prostratus est,
   Resurrexit Dominus,
   Ense jugulatus est
   Hostis proprio,
   Cum suis submersus est
   Ille Pharao.

2. Dicant Sion filiae,
   Resurrexit Dominus,
   Vero David obviae
   Choros proferant,
   Victori victoriae
   Laudes concinant.

3. Samson noster validus,
   Resurrexit Dominus,
   Circumseptus hostibus
   Portas sustulit,
   Frustratus allophylus
   Stupens ingemit.

4. Ut leonis catulus
   Resurrexit Dominus,
   Quem rugitus patrius
   Die tertia
   Suscitat vivificus
   Teste physica.

5. Deo patri gloria,
   Resurrexit Dominus,
   Salus et victoria
   Christo Domini,
   Par honor per saecula
   Sit spiritui.

LXI

Ad Laudes.

1. Veris grato tempore
Resurrexit Dominus,
Mundus reviviscere
Cum jam incipit,
Auctorem resurgere
Mundi decuit.

2. Cunctis exultantibus
Resurrexit Dominus,
Herbis renascentibus
Frondent arbores,
Odores ex floribus
Dant multiplices.

3. Transacta jam hieme
Resurrexit Dominus,
In illa perpetuae
Vitae gaudia,
Nullius molestiae
Quae sunt conscia.

4. Qui restauret omnia,
Resurrexit Dominus,
Tamquam ista gaudia
Mundus senserit,
Cum carne dominica
Iam refloruit.

5. Deo patri gloria,
Resurrexit Dominus,
Salus et victoria
Christo Domini,
Par honor per saecula
Sit spiritui.

LXII

In Ascensione Domini.

In 1 Nocturno.

1. In montibus hic saliens
   Venit colles transsiliens,
Sponsam vocat * de montis vertice:
Surge, soror, * et me jam sequere.

2. Ad paternum palatium,
   Ad patris scandens solium,
Sponsae clamat: * dilecta, propera,
Sede mecum * in patris dextera.

3. Omnis turba te civium,
   Te regnum manet patrium,
Tuae tota * cum patre curia
Praesentiae * requirit gaudia.

4. Quae regis sponsae congruant,
   Quae reginae conveniant,
Hic intextas * ex auro cyclades
Cum purpuris * gemmatis indues.

5. Sit Christo summo gloria,
   Qui scandens super sidera
Cum spiritu, * cum patre supera,
Deus unus, * regit et infera.

LXIII

In 2 Nocturno.

1. Quibusdam quasi saltibus
Superni patris filius
Ad terrena * venit e superis,
Spoliatis * nunc redit tartaris.

2. A sinu venit patrio
Matris susceptus utero,
In sepulchro * de cruce positus
Resurrexit, * per quem resurgimus.

3. Ascendentem ad aethera
Nubes excepit lucida,
Ferebatur * erectis manibus
Benedicens * suis adstantibus.

4. Ascendentem cernentibus
Ac super hoc mirantibus
Adstiterunt * in albis angeli,
Tam facie * quam veste nitidi.

5. Quid, inquiunt, attoniti
Sic coelum intuemini,
Quem euntem * in coelum cernitis,
Sic veniet * in forma judicis.

6. Sit Christo summo gloria,
Qui scandens super sidera
Cum spiritu, * cum patre supera,
Deus unus, * regit et infera.

LXIV

In 3 Nocturno.

1. In terris adhuc positam
Sponsam Christus ecclesiam
Ad se rursum * vocat quotidie,
Exhortatur * mente conscendere.

2. Dicat haec : post te trahe me,
Nitenti dextram porrige,
Super pennas * ventorum evolas,
Quis sequetur, * ni pennas conferas?

3. Columbae pennas postulet,
Ut ad quietem properet,
Alas petat * potentis aquilae,
Quibus alta * possit conscendere.

4. Dabit cum alis oculos,
Ut veri solis radios
Inreflexis * possit obtutibus,
Intueri, * quo nil felicius.

5. Pennatis animantibus
Ille locus aethereus,
Pro meritis * virtutum congruit,
Quibus alas * hic Deus dederit.

6. Sit Christo summo gloria,
Qui scandens super sidera
Cum spiritu, * cum patre supera,
Deus unus, * regit et infera.

9.

LXV

Ad Laudes.

1. Cum in altum ascenderet
Et ima secum traheret
Triumphantis * majestas Domini,
Circumstabant * victorem eruti.

2. Superna regis civitas
Pompas educit obvias,
Chere cantant * victori angeli
Et hosanna * salvati populi.

3. Illis tamquam quaerentibus
Et super hoc mirantibus,
Hi respondent * et alternantibus
Ita cantum * mulcent sermonibus:

4. Quis est iste res gloriae,
Quod hoc decus victoriae?
Quis est iste * de Edom veniens,
Purpureo * vestitu renitens?

5. Fortis et potens Dominus
Triumphans victis hostibus,
Manu forti * potens in proelio
Victor redit * subacto zabulo.

6. Sit Christo summo gloria,
Qui scandens super sidera
Cum spiritu, * cum patre supera,
Deus unus, * regit et infera.

LXVI

In Inventione sanctæ Crucis.

In 1 et 2 Nocturno.

1. Salve, coelestis
Vexillum regis,
Salve crux sancta,

2. Qua spoliato
Praedone diro
Praeda reducta.

3. Arverni portae
Jacent contritae,
Claustra confracta.

4. Tau beatum
Quo poenitentum
Fronte signata

5. Interfectoris
Ira crudelis
Est religata.

6. Vile latronum
Quondam tormentum
Eras pro poena,

7. Nunc gloriosum
Frontibus regum
Signum impressa.

8. Tu lignum vitae,
In qua rex ipse
Conscendit, palma,

9. Ut fructu tui
Letalis pomi,
Restauret damna.

10. Felici nautae
Qua quasi nave
Fruendo vita

11. Per mare magnum
Hoc navigandum,
Est ad superna.

LXVII

In 3 Nocturno.

1. Serpens erectus
Serpentum morsus
Conspectu sanat,

2. Antiqui virus
Serpentis Christus
Suspensus curat.

3. Sophia patris
Medelam cunctis
Ex se ministrat,

4. Prophetae virga
Silex bis icta
Aqua redundat.

5. Lignis duobus
Christus appensus
De se nos potat :

6. Bibit Judaeus,
Sed Christianus
Refectus exstat.

LXVIII

Ad Laudes.

1. Lignum amaras
Indulcat aquas
Eis immissum,

2. Omnes agones
Sunt sanctis dulces
Per crucifixum.

3. Calix praeclarus
Mortis est potus
Ipsis per ipsum,

4. Quaeque tormenta
Sunt eis grata
Per hoc exemplum.

5. Ut dolor meus
Dolor est nullus,
Attendunt scriptum,

6. Quippe qui cuncta
Portat peccata
Nescit peccatum.

7. Passo pro cunctis
Est universis
Compatiendum.

LXIX

In festo Pentecostes.

In 1 Nocturno.

1. Adventu sancti spiritus
Nostri cordis altaria
Ornans, Deus, virtutibus
Tu tibi templa dedica,
Illa septiformi, * quam habes, gratia
Contra septem * illa daemonia,
Cujus dona * bona sunt omnia.

2. Per timorem nos Domini
Primum a malo liberat,
Ut pauper hujus saeculi
Coelum dives introeat;
Tu hanc da, Domine, * da nobis gratiam,
Poenam reis * ne reddas debitam
Sed nomini * suo da gloriam.

3. Da pietatis viscera,
Ne superet temptatio,
Mites facit haec gratia,
Quorum terra possessio.
Et hanc da, Domine, * da nobis gratiam,
Poenam reis * ne reddas debitam
Sed nomini * tuo da gloriam.

4. Apponis et scientiam,
Per quam flenda cognoscimus,
Consolaris per veniam,
Cum hanc primo fecerimus.

Et hanc da, Domine, * da nobis gratiam,
Poenam reis * ne reddas debitam
Sed nomini * suo da gloriam.

5. Fortitudine roboras
Esuriem justitiae,
Veri panis saturitas
Viaticum est animae.
Et hanc da, Domine, * da nobis gratiam,
Poenam reis * ne reddas debitam
Sed nomini * tuo da gloriam.

6. Summum illud consilium
Das de misericordia,
Ut idem reddas praemium,
Vis hanc non sacrificia.
Et hanc da, Domine, * da nobis gratiam,
Poenam reis * ne reddas debitam
Sed nomini * tuo da gloriam.

7. Intellectus es spiritus,
Quo videtur divinitas
Mundi cordis luminibus,
Haec est regni sublimitas.
Et hanc da, Domine, * da nobis gratiam,
Poenam reis * ne reddas debitam
Sed nomini * tuo da gloriam.

8. Das tandem sapientiam,
Per quam fiant pacifici,
Nomen patris sanctificans,
In quo sint Dei filii.

Et hanc da, Domine, * da nobis gratiam,
Poenam reis * ne reddas debitam
Sed nomini * tuo da gloriam.

9. Apostolorum precibus,
Quos hac in die consecras,
Isdem nos charismatibus
Confirma, quos regeneras,
Illa septiformi, * quam habes, gratia
Contra septem * illa daemonia,
Cujus dona * bona sunt omnia.

LXX

In 2 Nocturno.

1. Remissionis numerum
Lux signat quinquagesima,
Quo jubilaeus omnium
Annus relaxat debita.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

2. Sub hoc dierum numero
Remissionis spiritus
A summi patris solio
Venit, quem misit filius.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

3. Divinum quippe spiritum
Amorem ejus dicimus,
Quo reis hunc propitium,
Quo mitem esse novimus.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

4. Cujus amoris hodie
Flamma mundus accenditur,
Quem venit Christus mittere,
In terram ignis mittitur.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Et quo, per quem, * in quo sunt omnia.

5. In igneis hunc hodie
Linguis super apostolos
Demonstrans legis igneae
Praesignavit hos nuntios.
Summa summo regi, * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

6. Lex vetus tamquam frigida
Servos metu coercuit,
In Christo mater gratia
Filios Deo genuit.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

7. Apostolorum precibus,
Quos hac in die consecras,
Isdem nos charismatibus
Confirma, quos regeneras.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

LXXI

In 3 Nocturno.

1. Tradente legem Domino
Mens tremens metum attulit,
Spiritus in coenaculo
Susceptus illum abstulit.
Summa summo regi * Christo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

2. Micabant illic fulgura,
Mons caligabat fumigans,
Hic est flamma multifida,
Non urens sed illuminans.
Summa summo regi * Christo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

3. Horrendae sonum buccinae
Pavebat illic populus,
Verbum intelligentiae
Sonus hic fuit spiritus
Summa summo regi * Christo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

4. Fumus illic caliginem
Obscurae signat literae,
Splendentis ignis speciem
Clarae signum hic accipe.
Summa summo regi * Christo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

5. Terroris ac caliginis
Illic plena sunt omnia,
Curat hic ex contrariis,
Paraclitus contraria.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

6. Omnes aufert molestias
Divina consolatio,
Cordis exarat tabulas,
Ut reparetur ratio.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

7. Apostolorum precibus,
Quos hac in die consecras,
Isdem nos charismatibus
Confirma, quos regeneras.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

LXXII

Ad Laudes.

1. Apostolorum pectora
Divinus replens spiritus
Corda ditat sententia,
Linguas loquelis omnibus.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

2. Ut superbos disperserat
Linguae quondam divisio,
Sic humiles nunc aggregat
Diversarum collectio.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

3. Laudari linguis omnibus
Et praedicari debuit
In cunctis mundi partibus.
Qui has, qui cuncta condidit,
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem * in quo sunt omnia.

4. Joelis testimonium
Completum esse novimus,
Petrus calumniantium
Quod opponit latratibus.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem * in quo sunt omnia.

5. Divinorum completio
Festorum haec festivitas,
Divini consummatio
Promissi fit haec largitas.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

6. Qui verum omne doceat,
Promissus hic est spiritus,
Hic est, qui cuncta suggerat,
Quae suis dixit filius.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

7. Apostolorum precibus,
Quos hac in die consecras,
Isdem nos charismatibus
Confirma, quos regeneras.
Summa summo regi * Deo sit gloria,
Cujus cuncta * subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, * in quo sunt omnia.

LXXIII

In Dedicatione Ecclesiæ

In 1 Nocturno.

1. Sacra Jerosolymis
   Facta sunt encaenia,
   Cum lux esset celebris
   Domini praesentia.

2. Ipse nostris hodie
   Festis adsit, quaesumus,
   Praesentis basilicae
   Bassileon proprius.

3. Nostri templum pectoris
   Ipse sibi consecret
   Et signis extrinsecis
   Res internas aggreget.

4. Quae fiunt exterius,
   Intus ipse compleat,
   Mundi penetralibus
   Qui cordis inhabitat.

5. Deo patri gloria,
   Par sit honor filio,
   Compar sit spiritui
   Gratiarum actio.

LXXIV

In 2 Nocturno.

1. Spiritalis signum est
   Templum hoc visibile,
   Et in illo totum est,
   Quod in hoc fit mystice.

2. Aqua benedicitur,
   Salis fit commixtio,
   Templum his conspergitur
   Circumvectis tertio.

3. Accenduntur interim
   Intus luminaria,
   Numero duodecim
   In gyro disposita.

4. Aspergendo circuit
   Templum ter episcopus,
   Portae frontem percutit
   Virga ter superius.

5. Aperiri praecipit,
   Ut rex intret gloriae,
   Quod cum ter expleverit,
   Patefiunt januae.

6. Ingressus basilicam
   Preces offert Domino,
   Pro se primum hostiam,
   Deinde pro populo.

7. Alphabeti duplicis
   Dum figuras imprimit,
Cancellatis lineis
   Crucis signum imprimit.

8. Quae fiunt exterius,
   Intus ipse compleat,
Mundi penetralibus
   Qui cordis inhabitat.

9. Deo patri gloria,
   Par sit honor filio,
Compar sit spiritui
   Gratiarum actio.

LXXV

In 3 Nocturno.

1. Ad altare pontifex
Sacrandum se praeparat,
Aquae salem, cinerem
Atque humum sociat.

2. Bis intincto digito
Per altaris cornua
Signum crucis imprimit
Consecrantis dextera.

3. De hysopo deinde
Tenens aspersorium
In altare septies
Aspergit circumdatum.

4. Rigatis ter deinceps
Intus parietibus
Orat, ut exaudiat
Ibi quosque Dominus.

5. Ad altare praesul his
Peractis convertitur,
Psalmus cum antiphona
Praeeunte dicitur.

6. Ad altaris funditur
Basim aquae reliquum,
Quo extergi debeat,
Mundum adest linteum.

7. Thus antistes adolet
 Super ipsum Domino,
Tam ipsum quam anguli
 Consignantur oleo.

8. Unctione chrismatis
 Altare perfunditur,
Et simul antiphona
 Decantanda sumitur.

9. Cruces hinc duodecim
 Chrismantur parietum,
Altare contegitur
 Et fit sacrificium.

10. Quae fiunt exterius,
 Intus ipse compleat,
Mundi penetralibus
 Cordis qui in habitat.

Deo patri gloria,
 Par sit honor filio,
Compar sit spiritui
 Gratiarum actio.

LXXVI

Ad Laudes.

1. Ecce domus Domini,
   En fidelis populus,
Psalmis, hymnis, canticis
   Vacans spiritalibus.

2. Christus, cujus domus est,
   Ipsam sibi protegat
Et ovile proprii
   Gregis pastor muniat.

3. Canum spiritalium
   Tutelam adhibeat,
Lupos invisibiles
   Super illos arceat.

4. Angelorum praesidens
   Semper in custodia
Ad fidelis populi
   Vigilet praesidia.

5. Ad superbum zabulon
   Conterendum Michael,
Ad medendum sauciis
   Dirigatur Raphael.

6. Corda titubantium
   Gabriel corroboret
Et perseverantia
   Stantes idem adjuvet.

7. Nusquam, cum sit regis hoc
   Coelestis palatium,
Ministris coelestibus
   Decet esse vacuum.

8. Horum ministerio
   Disponantur omnia,
Qui norunt, quae Domino
   Sint vel non sint placita.

9. Christi vota populi
   Ipsi preces offerant,
Et, quid ipse voveat,
   Quid precetur, doceant.

10. Nihil cassis precibus,
   Nihil votis irritis
Hic fideles postulent
   Vel sibi vel aliis.

11. Quisquis hic fidelium
   Preces Deo fuderit,
Impetrasse gaudeat
   Se quidquid petierit.

12. Giezita nullus hic,
   Nullus Simoniacus
Corrumpat haereticis
   Gregem Christi pestibus.

13. Quos a domo propria
   Per semet expulerit,
Iram ejus sentiat,
   Quisquis hos reduxerit.

14. Deo patri gloria,
   Par sit honor filio,
Compar sit spiritui
   Gratiarum actio.

NOTAE

AD LIBELLUM SECUNDUM.

Praefatio. B fol. 86 b. — **Adnotanda** : 1) Ephes. 5, 19. — 2) Coloss. 3, 16. De istis apostoli verbis, quibus triplex sacrae poeseos genus distinguit, multus, ne dicam infinitus fuit interpres haud rarus summeque subtilis. E quorum grege unum hoc loco Ferdinandum Wolfium commemoro, qui in libro praeclaro « Uber die Lais, Sequenzen und Leiche » p. 84 sqq. rem copiose explanat. Integrum de eodem argumento opusculum composuit Hilligerus « De psalmorum, hymnorum atque odarum sacrarum discrimine » quod prodiit Wittenbergae 1720. Atque ut, quae ipse sentiam, paucis complectar, ut apostolo scribenti certam quandam generum distinctionem ob oculos et in mente versatam esse, negare non ausim, ita admodum difficile atque adeo impossibile videtur, certum quoddam discrimen quodque omnibus probetur, diffinire, praesertim cum nihil sit in antiquioribus ecclesiae scriptoribus, quod rei subobscurae lucis quidpiam adspergat. Ceterum omnino mihi probantur, quae Thierfelder sub initium dissertationis suae de Christianorum psalmis et hymnis usque ad Ambrosii tempora statuit : « Quae tria canticorum genera non multum inter se differunt. Nam veteris et novi testamenti hymnorum eadem fere, quae psalmorum, structura est, et novae odae primo certe tempore, quo plurimi ex Christianis Judaei fuerant, in modum psalmorum compositae sunt » ; l. c. p. 7. — 3) Latior patet Augustini notissima ac fere recepta definitio ; hic enim Enar. in Ps. 148, n. 47 : « Hymnus, inquit, scitis quid est ? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum et non **cantas**, non dicis hymnum ; si cantas et non **laudas** Deum, non dicis hymnum ; si laudas **aliud**, etsi cantando laudas, non dicis hymnum. Hymnus ergo tria ista habet, et cantum et laudem et Dei ». Metrum pro cantu substituit Cassiodorus expositione in Ps. 66. sub init. : « Hymnum diximus carmen esse metri alicujus lege compositum sicut omnes psalmos in Hebraea lingua constat esse formatos ». — 4) Communis erat

post Eusebium opinio (Hist. eccl. II, 17), Therapeutas, de quibus Philo in libro Περὶ βίου θεωρητικοῦ, Christianos fuisse ἀσκητούς; contra inde a saeculo decimo sexto sententia praevaluit eorum, qui eosdem philosophos sive Judaeos sive Graecos fuisse asserunt. Hujus loci certe non est auctores omnes librosque hac de re conscriptos enumerare et, quid quisque sive evicerit sive erraverit, discutere. Nuperrime Lucius (Die Therapeuten und ihre Stellung in der Geschichte der Ascese, Strassburg 1879) Therapeutas quidem et Christianos et monachos fuisse contendit, Philonem vero auctorem esse libri de vita contemplativa negavit, quem saeculo demum tertio exeunte conscriptum vult, ut vita monastica populo commendaretur. Deinde Massebieau (Le traité de la vie contemplative et la question des Thérapeutes, Paris 1888) et Philoni librum et Judaismo Therapeutas repoposcit. Denique anno proxime elapso Nirschl (Die Therapeuten, Mainz 1890) cum Lucio Therapeutas Christianos, cum Massebieau Philonem auctorem libri de vita contemplativa esse, asseruit. Sed obscurior est in describendis illorum moribus Philo, quam ut omni remoto dubio, res in hunc vel illum sensum dirimi queat. Adhuc igitur sub judice lis est diuque certo certius manebit. — 5) Confer quae supra ex Cassiodoro attulimus. Idem in praefatione in Psalterium c. 15 : Haec (scriptura psalmi videlicet) sicut patris Hieronymi testatur auctoritas, apud Hebraeos aut rhythmo aut metrica constat lege composita, quae ut ipsi dicunt fastuciis continetur. Fastucium enim est, per commata procedens ad depromendum sensum naviter explicata conceptio. — 6) « Haec cum graece legimus — verba sunt Hieronymi — aliud quiddam sonant »; quae vix dubito, quin Abaelardo haec scribenti praesto fuerint. — 7) Matth. 26, 30; Marc. 14, 26.

XXX. B. fol. 37 b; C. fol. 29 a. — **Lectiones variantes** : 3, 1. Pitra absque ulla notula edidit : *O vere beata pauper puerpera*, id quod rhythmum omnino destruit. Sed neque ita habet Cod. Bruxellensis, sed : *Ouem beata*, duplex scilicet mendum in priori verbulo : O enim loco Q appinxit rubricator, *uem* loco *uam* posuit scriptor. Recte Cod. Calmontanus : *Quam beata*. — 5, 4, eduxit BC, puto tamen legendum esse edixit. — 7, 2. *Nobis* post B omisit Pitra, sine quo verbulo mancus est rhythmus.

Adnotanda : Metrum hymnorum XXX-XXXIII. ad schema subjectum est conformatum :

– – – – | – – – ⊥ – ∟ *a*
– – – – | – – – ⊥ – ∟ *a*
– – – – | – – – ⊥ – ∟ *a*
– – – – | – – – ⊥ – ∟ *a*

1, 1. Verbo verbum virgo concepit, quia verbo angeli credidit. Atque hic quidem loquendi modus ex usitatissimis est. Ita Guido a Basochiis :

Laudes canamus virginis,
Quae **sermone** non semine,
A Deo non ab homine
Fit Dei mater hominis.

Idem proinde hic loquendi usus significat atque alter, qua *aure* concepisse virgo dicitur, ut in notissimo illo, qui Bonaventurae tribui solet, hymno :

Gaude, virgo mater Christi,
Quae per *aurem* concepisti
Gabriele nuntio.

Similiter in sequentia, quam Monius (II, 63) ex Codice Caesariensi edidit :

Auris et mens pervia Deo sunt ingressus,
Non patent vestigia, quibus est egressus.

Neque ab hoc diversus est modus, quo virginem *fide* concepisse, patres passim ac maxime Augustinus dicere consueverunt. Cujus exemplum habes Serm. 45. de Verbis Isaiae (53, 2) n. 6 : « Et ne contemnas : Generationem ejus quis enarrabit. Quam generationem ? Ante luciferum genui te. Ecce una generatio : Ante luciferum, ante omnia, quae facta sunt, ante omnes angelos, ante omnem creaturam. Quare ? Quia omnia per ipsum facta sunt. Sed forte secunda ejus generatio narratur ? Quis illam narrat ? **Fide concipitur**, masculus non accedit, uterus

virginis tumet, procedit tamquam sponsus de thalamo suo. Mirabilis ista generatio. Mirabilis est humana, quia sine patre, mirabilis illa, quia sine matre ». — 2, 1. Paene mihi persuaserim, hunc versum Abaelardi Adamum a Sancto Victore, omnium hymnographorum principem, imitatum esse, cum Sequentiam paschalem cantaturus sic exorsus est :

Salve, *dies, dierum gloria,*
Dies felix, Christi victoria.

2, 4. Felix stella, quae solem peperit. Christus sol justitiae, stella maris Maria; hinc de stella sol natus est, ut in celeberrima prosa, perperam, ut videtur, Bernhardo tribui solita :

Angelus consilii
Natus est de virgine.
Sol de stella.

4, 1. Vitae viam in via peperit. Haec non inepte ex Joh. 14, 6 et Gen. 30, 8, ubi Thamar in bivio peperisse narratur, conflata sunt. Nam sicut ista in bivio, ita Maria in itinere inque stabulo fetum edidit. Communius Thamar typus ecclesiae, quae ex Juda (Christo) geminos habeat, Judaeos scilicet et gentiles. Aliter Hugo a Sancto Victore (Allegoriae in Genes. c. 17), quae in Genesi narrantur, mystice interpretatur : « Juda igitur est Christus ; oves fideles, pastores doctores sunt, lana bona opera, Thamar anima, sessio in bivio confessio de peccato, impraegnatio gratiae infusio, geminae prolis editio virtutum exercitatio et bonorum operum exhibitio ». Sed haec longius procul dubio conquisita. — 5, 1. Obstetrices, ni fallor, quique harum vices agunt angeli ex Notkero desumptae sunt, quippe qui in Sequentia *Natus ante saecula* haec habeat : « Gaude, Dei genitrix, quam circumstant obstetricum vice concinentes angeli gloriam Dei ». Kehrein, Lateinische Sequenzen des Mittelalters, p. 29.

XXXI. B. fol. 87 b; C fol. 29 b. — 1, 2, praesepe, B.— 1, 4. Quam, C. — 4, 1, tonitruis, B. — 4, 4, purpureas, C.

Adnotanda : 1, 1. Sensum hujus versus explicant, quae habet ipse Abaelardus in Sermone 2. de Nativitate D.N. : « Ceteri vero homines ex patre simul et matre generantur, hoc uno quidem excepto, qui ex sola matre, ut dictum est, nascitur. Unde et

proprie ipse solus filius **hominis** non hominum dictus est: quia eum videlicet secundum carnem sola virgo genuit et ipse ei quoque solus et unicus filius exstitit sicut et patri, ut ejus excellentiae singularitas per omnia commendetur. — 1, 4. Mundum implet, in praesepio jacet, sidera regit, ubera lambit; ineffabiliter sapiens, sapienter infans. Ita magnus in forma Dei, ita parvus in forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Augustin. Serm. 27 de temp. Quocum conferas quae idem doctor habet sermone 184 : « Quem cœli non capiunt, unius feminæ sinus ferebat », vel illud Leonis Magni (Serm. 37, 1) : « Genitricis gremio continetur, qui nullo fine concluditur ». Sed ejusmodi dictorum infinitus est numerus. —2, 1 sq. Similiter hymnus apud Monium 53 :

Nascitur diversorio
Manens in patris solio.

5, 1. Cfr. apud Monium n° 48 : In praesepe ponitur sub foeno asinorum. — « Bene in Bethlehem nascitur, inquit Gregorius M. Homel. in Evang. 1. 8, 1, Bethlehem quippe domus panis interpretatur; ipse namque est qui ait : ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi ».

XXXII. B. fol. 87 b; C. fol. 30 a. — **Lectiones variantes** : 1, 3. Quod parvulus, C. — 2, 4. Omni fuerit dolore nescius, B, quam lectionem Pitra secutus est, licet cum rhythmo pugnet.— 5, 2. Quem parvulum, B.

Adnotanda : 1, 4. Similia sunt, quae Alanus ab Insulis in rhythmo de Nativitate profert, ubi post alias artes geometriam loquentem facit :

Suae artis in censura
  Geometra fallitur,
Dum immensus sub mensura
  Terrenorum sistitur,
In directum curvatura
  Circuli convertitur,
Sphaeram claudit curvatura
  Et sub ipsa clauditur.

3, 3 sq. « Lacte nutritur cibus angelorum », Petrus Damiani

hymno 47. apud Migne PP. LL. 145, p. 935. **Praeclare cantio**, quae incipit : *Dies est laetitiae*, apud Monium nº 47 :

Stupescit natura,
Quod parit juvencula
Natum ante saecula
Creatorem rerum,
Quod uber munditiae
Dat lac pudicitiae
Antiquo dierum.

XXXIII. B. fol. 88 a; C. fol. 30 b. — **Lectiones variantes** : 2, 3. Te fugurantur, B, non fugantur, sicut Pitra in notula praetendit.— 4, 3. Quae supplicare, B, contra rhythmi leges; prolis eis, C. — 4, 4. Quae prolis eis, C. — 5, 1. O pia [mater pie] tas, B; quae uncis inclusi, in Codice Bruxellensi legi nequeunt; Pia mater, pietatis filius, C; genuina lectio ex utraque conflanda est.

Adnotanda : 2, 2, sufficiat notissimi illius vaticinii mentionem facere : *Ecce virgo concipiet et pariet filium* et reliqua, apud Is. 7, 14. — 4, 4. Mariam pro reis, propter peccatores, immo per peccatores matrem Salvatoris effectam ideoque teneri, gratum illis animum ostendere, frequens est antiquae pietatis effatum. Ita in libello precum Neerlandico saec. 15. nunc Bremae in bibliotheca civitatis asservato, haec invenies :

Ad te virgo, manus tendo,
Me peccasse reprendo,
Fundo preces ad te flendo,
Ut sis in auxilium
Peccatoribus teneris
Opem ferre; cur, si quaeris,
Audi quare, si digneris,
Castitatis lilium.
Quia ex te verbum natum
Propter hominis peccatum
Tibi confert principatum
Coelestium, terrestrium.

Ex quibus tamen paucula menda codicis expunxi.

XXXIV. B. fol. 88 a ; C fol. 34 a. — **Lectiones variantes** : 1, 1. Rasciturum, C ; falsam literam adpinxit rubricator. — 2, 3.

Inundavit, quod mandavit, B, quod sequitur Pitra. — 6, 4, per saecula, B C ; legendum tamen *saecla*, quod et numerus syllabarum et rhythmi ratio ex analogia versuum parium exigit.

Adnotanda : Metrum hymnorum, qui de Epiphania sunt, ita habet :

⊥ – ⊥ – *a*
⊥ – ⊥ – *a*
– – – – – – ⊥ – *c*
⊥ – ⊥ – *b*
⊥ – ⊥ – *b*
– – – – – – ⊥ – *c*.

2, 1, sq. Haec omnia et quae sequuntur ad amussim exscripta sunt ex Orosii historiarum libro VI, c. 20 : « Anno ab urbe condita DCCXXV, ipso imperatore Caesare Augusto quinquies et L. Apulejo consulibus, Caesar victor ab Oriente rediens octavo Idus Januarias urbem **triplici triumpho** ingressus est..... Porro autem hunc esse eundem diem, hoc est octavum Idus Januarias, **quo nos Epiphania,** hoc est apparitionem sive manifestationem dominici sacramenti observamus, nemo credentium sive etiam fidei contradicentium nescit. De quo nostrae istius fidelissimae observationis sacramento uberius nunc dicere nec ratio nec locus flagitat, ut et quaerentibus reservasse et negligentibus non ingessisse videamur. Hoc autem fideliter commemorasse ideo par fuit, ut per omnia venturi Christi gratia praeparatum Caesaris imperium comprobetur. Nam cum primum Cajo Caesare avunculo suo interfecto ex Apollonia rediens urbem ingrederetur, **hora circiter tertia repente, liquido ac puro sereno circulus ad speciem coelestis arcus orbem solis ambiit,** quasi eum unum ac potentissimum in hoc mundo solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore venturum esset, qui ipsum solem solus mundumque totum et fecisset et regeret ». Notum fuisse Abaelardo Orosium patet praeterea ex ejus sermone in die Epiphaniae, ubi auctorem eum adhibet his verbis : « Qualia quidem illa, quae Paulus Orosius Antiquitatum ab urbe condita libro VII. commemorat, etc. ».

2, 2, sq. « Deinde cum secundo in Sicilia receptis a Pompejo et

Lepido legionibus triginta milia servorum dominis restituisset et quadraginta quatuor legiones solus imperio suo ad tutamen orbis terrarum distribuisset ovansque urbem ingressus omnia superiora populi Romani debita donanda literarum etiam monumentis abolitis censuisset : **in diebus ipsius fons olei largissimus, sicut superius expressi, de taberna meritoria per totum diem fluxit.** Quo signo quid evidentius, quam in diebus Caesaris toto orbe regnantis futura Christi nativitas declarata est ; Christus enim lingua gentis ejus, in qua natus est, unctus interpretatur ». Idem ibidem. Quae omnia apud posteriores magis magisque aucta atque exornata invenies. Conferatur v. g. Gotifredi Viterbiensis Pantheon (Monum. Germ. XXII, 150 sq.) vel Jacobi de Voragine Legenda aurea (ed. 1483 fol. d. 7 sq.). Neque in hymnis ecclesiasticis admodum raro hujus visionis mentio infertur ; quin et in cantionibus Germanicis occurrit :

Von sternen glantz ein krone
die tregt sie wolgethan,
Es sahe sie an dem trohne
der Fürst Octavian
Am himmel schöner wunne,
gekleidet mit der sonnen;
ihr schemel war der mon.

Kehrein, Kath. Kirchenlieder II p. 11 ; Wackernagel, das deutsche Kirchenlied II, 1152. — 4, 1. Haec quoque ex Orosio l. c. cap. 22 : « Clausis igitur Jani portis rem publicam, quam bello quaesiverat, pace enutrire atque amplificare studens leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reverentia disciplinae morem gereret, Domini appellationem ut homo declinavit. Nam cum eodem spectante ludos pronuntiatum esset a quodam mimo : *O Dominum aequum et bonum*, universique, quasi de ipso dictum esset, exsultantes approbavissent, statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit et insequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel joco passus est ». — 5, 1 sqq. « Igitur eo tempore, id est eo anno, quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei

Caesar composuit, natus est Christus, cujus adventui pax ista famulata est, in cujus ortu audientibus hominibus exsultantes angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis ». Idem ibidem. Adjicio ex Sermone Ambrosio olim adscripto : **Janus** enim homo fuit, unius conditor civitatis, quae Janiculum nuncupatur, in cujus honorem a gentibus Kalendae sunt Januariae nuncupatae. Serm. VII. de Kal. Jan. n. 3. Opp. VI, 423.

XXXV. B. fol. 88 a ; C fol. 34 b.— **Lectiones variantes** : 1, 1, stupent quantum, C.— **Adnotanda** : 1, 2. Novam stellam, quae luxit Magis, ante Abaelardum dixit Ambrosius : « Viderunt stellam **novam**, quae non erat visa a creatura mundi. Viderunt **novam creaturam** et non solum in terra sed etiam in coelo gratiam novi hominis requirebant, secundum quod Moyses prophetice posuit : quia orietur stella ex Jacob et exsurget homo ex Israel ». In Luc. lib. II, n. 48. Sed et ipse Abaelardus noster Serm. 4. in Epiphania : « De columba autem, in qua Spiritus sanctus figuratus ostenditur, **sicut et de stella** sciendum est, ex elementis scilicet **creata noviter** utraque credatur : quae officio suo, ad quod creatæ sunt, completo, esse desierunt, in elementa ipsa resolutae ».

XXXVI. B fol. 88 a ; C fol. 35 a. —**Lectiones variantes**: 5, 1. Quis blanda B ; falsam literam primam adpinxit rubricator. Edidit Pitra *Quae vox blanda*, sed *vocis* vocabulum in codice desideratur.— 5, 3, aequa, B. Addit Pitra notulam hanc : « Locus corruptus videtur cl. v. Cousin. Sensus videtur esse: Nec aequa seu similis vox tenet quemquam typum divinae gratiae seu ita manifestat divinam gratiam ». Sed haec erronea sunt. Modo rite restituatur, nec corruptus videri potest locus nec ulla interpretatione indiget.

Adnotanda: 1, 1 sqq. « Atque ideo venit Dominus ad lavacrum, non ut purificetur ipse aquis. sed ut nobis aquarum fluenta purificet; ex quo enim ille sese in aquas mersit, ex eo omnium credentium peccata delevit. Mirum ergo in modum unus mergitur et salus omnium reparatur ». Serm. Ambrosio trib. X, de Epiph. III, n. 2. Opp. tom. VI p. 428. — Ideo baptizatur Christus, non ut sanctificetur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificet et purificatione sui purificet fluenta illa, quae tangit. Consecratio enim Christi consecratio major est elementi. Cum

enim salvator abluitur, jam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur et purificatur fons, ut secuturis postmodum populis lavacri gratia ministretur. Serm. Ambrosio trib. XII, de Epiph. V, n. 4. l. c. p. 432. — 2. 3. « Quod baptizatus ad orationem se convertit, innuit patenter, his qui baptizati sunt, semper necessarium esse opem divinam postulare, ut in ea, quam perceperunt, sanctificatione valeant permanere et sic sibi aperiri januam coelestis vitae. Quod statim declaratur, cum eo baptizato et orante, coeli aperiri referuntur et spiritus descendere commemoratur. Baptismus quippe coelos reserat et perseverantiae gratiam oratio nobis impetrat ». Haec Abaelardus in Sermone jam laudato. — 3, 1 sqq. Postquam exposuit, patrem voce se manifestasse, Ambrosiaster (Bene, inquam, pater vox et filius verbum dicitur, quia verbum non nisi de voce procedit) addit: « Qua autem ratione Spiritus sanctus ad Christum in specie columbae descenderit, videamus, utrum sit aliqua similitudo columbae vel Domini sicut est vocis et verbi. Est plane non parva. Columbam enim etiam ipsum Dominum dixerim, quia est alacer, mitis et simplex. Columba est, quia sanctos suos esse praecepit ut columbas dicens: Estote simplices ut columbae et volabo et requiescam ». Serm. Ambrosio trib. X, de Epiph. III. n. 4. l. c. p. 429. — 5, 1 sqq. « Unde et bene in hujusmodi ave, quae prae ceteris in tantum blanda et mansueta esse creditur, ut iracundiae felle carere dicatur ». In sermone laudato de Epiphania Abaelardus.

XXXVII. B fol. 88 b.; C fol. 33 b. — **Lectiones variantes**: 1, 4, convivas reficit, B, contra rhythmi leges. — 2, 3. Quia per tanta, B, numerum syllabarum debito majorem exhibens; perperam Pitra emendavit *Quia per tot.* — 3, 3, quam ad unam, C. — 4, 2, actorem, C.

Adnotanda: 3, 1. Frequens Judaeorum gentis caecae atque induratae in hymnis medii aevi fit mentio. Quae fere a patribus didicerunt poetae. Ita, ut aliquod saltem speciem adducam, pro concione dixit Augustinus: « Sciebant tamen Christum filium David. Nam etiam nunc sperant ipsum venturum. Latet eos, quod venerit, sed volentes latet. Neque enim si pendentem non agnoverunt et regnantem non agnoscere debuerunt. In cujus enim nomine vocantur et benedicuntur omnes gentes nisi in ejus, quem putant Christum non fuisse ?... Vident jam

Christo nostro benedici omnes gentes; quid exspectant, quod jam venit et non timent, quod venturum est? Lapidem enim se dixit ipse Dominus noster Jesus Christus prophetico ad se asserendum utens testimonio, lapidem autem talem, ut, si quis in eum offenderit, conterat eum. Quando enim in eum offenditur, humilis jacet; jacendo humilis quassat offendentem, veniendo excelsus conterit superbientem. Jam ergo Judaei illa offensione quassati sunt, restat, ut ejus praeclaro adventu etiam conterantur, nisi forte, dum vivunt, agnoverint, ne moriantur ». Serm. 91 de verbis Evang (Matth. 22, 40) n. 1. Similiter in sermone Ambrosio perperam adscripto (de Epiphan. 1, n. 3) : « Unde Judaeis per prophetam dicitur : Videntes videbitis et non videbitis (Is. 6, 9), hoc est salvatorem, quem cernerent oculis corporalibus, spirituali lumine non viderent. Postea enim quam divinitatem suam mirabilibus declaravit, humanis mentibus tamquam novus et inopinatus apparens oculos quosdam cordis infudit, ut cognosceret sensus, quem non cognovit adspectus. Unde fit, ut nos Christum Dominum per fidem, quem nunquam vidimus, contemplemur, Judaei, quem perspexerunt oculis, palpaverunt manibus, hodie usque non videant ». Opp. VI, p. 424 sq. — 5, 2 sq. Cfr. Augustinum Ep. 137 ad Volusianum n. 16 : « Reproba per infidelitatem gens ipsa Judaeorum a sedibus exstirpata per mundum usquequaque dispergitur et ubique portat codices sanctos ac si prophetiae testimonium, qua Christus et ecclesia praenuntiata est, ne ad tempus a nobis fictum exsistimetur, ab ipsis adversariis proferatur, ubi etiam ipsos praedictum est non fuisse credituros ». In sermone vero 45 de verbis Isaiae (57, 13) n. 7 : « Crevit ille mons [montem Judaeos intellige]. Quo enim iit crescendo? Per universam terram. Nam mons ille unde praecisus est, non crescendo implevit universam terram, quia etsi impleverunt universam terram Judaei, quia debellati sunt et suam terram perdiderunt, dispersi sunt per terram poena meritorum non magnitudine incrementorum ».

XXXVIII. B, fol. 88 b; C, fol. 138 a. — **Lectiones variantes** : 2, 2. Prudentes illae virgines, B; praeferenda sane lectio Cod. Calmont. idque eo magis, quod hac demum admissa 2, 1 sq. ad sponsum, 2, 3 sq. ad sponsam referantur ideoque pulcherrime respondeant versui 1, 3. — 3, 3. Domus dis cum omnibus,

ita Cod. Bruxellensis, quod perperam legit Pitra *Domus dominis cum omnibus*, quod cum rhythmo repugnare videret, in nota subjecit: hic iterum elisio. Sed nullas novit, ut jam monui, elisiones Abaelardus ; deinde neque ita legi possunt, quae habet B ; denique si ita legendum esset, omni verborum sensu deficiente, locus corruptus censendus esset. Itaque nihil est in Cod. Bruxellen. nisi vitium scriptoris, qui dIs scripsit pro oIs.

Adnotanda : De Metro in Prolegomenis dictum est. — 1, 1. Haec ex liturgia Romana ad benedictionem cereorum desumpta sunt. Prima enim antiphona ad Processionem sic habet : « Adorna thalamum tuum, Sion. et suscipe regem Christum : amplectere Mariam, quae est coelestis porta ; ipsa enim portat regem gloriae novi luminis. Subsistit virgo adducens manibus filium ante luciferum genitum ; quem accipiens Simeon in ulnas suas praedicavit populis, Dominum eum esse vitae et mortis et salvatorem mundi ». Sed haec nihil aliud nisi translatio odae Cosmae Hagiopolitae :

Κατακόσμησον τὸν νυμφῶνά σου Σιών,
Καὶ ὑποδέξαι τὸν βασιλέα Χριστόν.
Ἄσπασαι τὴν Μαριὰμ, τὴν ὑπουράνιον πύλην.
Αὕτη γὰρ θρόνος χρερουβικὸς ἀνεδείχθη,
Αὕτη βαστάζει τὸν βασιλέα τῆς δόξης.
Νεφέλη φωτὸς ὑπάρχει ἡ παρθένος,
Φέρουσα ἐν σαρκὶ υἱὸν προεωσφόρου,
Ὃν λαβὼν Σιμεὼν ἐν ἀγκάλαις αὐτοῦ
Ἐκήρυξε λαοῖς, δεσπότην αὐτὸν εἶναι
Ζωῆς καὶ θανάτου καὶ σωτῆρα τοῦ κόσμου.

Ita ex Gallandi Bibl. Patrum XIII p. 259 in Thesauri Hymnologici tomo III. p. 79 H. A. Daniel.

XXXIX. B, fol. 88 b ; C, fol. 139 a. — **Lectiones variantes** : 2, 1. Offert, C. — 2, 3. Offert, C. — 4, 3. Pauper quidem hostia B ; supplevit « *est* hostia » Pitra ; supplendum *haec*, docet Cod. Calmont. — 5, 4, anno mystico, C.

Adnotanda : 1, 3. « Cum tale quid nato ex virgine Domino facerent, magis propter consuetudinem legis quam propter necessitatem alicujus in eo expiandi purgandique peccati sic legitur... Sic enim baptizari etiam ipse dignatus est baptismo Jo-

hannis, qui erat baptismus pœnitentiae in remissionem peccatorum, quamvis nullum haberet ipse peccatum ». August. Quaest. in Levit. l. III, 9, 40. — 3, 3 sqq. Columbam Christi typum gerere, jam supra ad hymnum XXXVI diximus, cui et illud addi potest, eucharistiam inde ab initio in vasibus, ad similitudinem columbarum factis ac super altare suspensis, fuisse asservatam. Eadem et amoris et ideo spiritus sancti symbolum adhibetur. De columba Augustinus Serm. 64 de verbis evang. (Matth. 10, 16) : « Attende columbas in societate gaudere ; ubique simul volant, simul pascuntur, nolunt esse solae, communione gaudent, caritatem servant, gemitibus amoris murmurant, osculis filios generant. Nam quando columbae, quod plerumque advertimus, inter se rixantur de cellulis suis, quodammodo pacata contentio est. Numquid, quia rixantur, separantur?... Columba amat et quando rixatur ; lupus odit, quando rixatur, lupus odit, et quando blanditur ». De turture confer quae passim habet Dr. Fr. Lauchert in libro praeclaro « Geschichte des Physiologus », Strassburg 1889. — 5, 3. Agnum verum Christum intellige, de quo Baptista : Ecce agnus Dei, inquit, ecce qui tollit peccata mundi (Joh. 1, 29) ; nam ut agnus paschalis, ita et agnus purificationis pro peccato offerebatur, atque ita typus « agni veri » erat, quod re efficiebat, quae isti significaverant.

XL. B, fol. 89 a ; C, fol. 138 b. — **Lectiones variantes** : 3, 2, ligneus, C. — 6, 2, mansuratur, C. — **Adnotanda** : 3, 1 sqq. Haec ex Ezechiele 40, 3 sqq. *Et ecce vir, cujus erat species quasi species aeris et funiculus lineus in manu ejus et calamus mensurae in manu ejus... Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique et in manu viri calamus mensurae sex cubitorum et palmo et mensus est latitudinem aedificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.* Unde vero suam interpretationem desumpserit Abaelardus, non invenio. — 5, 2. Aliter Hieronymus (In Ezech, l. XII) : « Et calamus mensurae in manu ejus designat gratiam prophetalem » ; consentit cum Hieronymo Abaelardus v. 6, 1 sq : « Locutus est ad Ezechielem verus architectus quem imitabatur et Paulus apostolus dicens : *Quasi sapiens architectus fundamentum posui* » (1 Cor. 3, 10). l. c.

XLI. B fol. 89 a. — **Adnotanda** : 2, 2, Virum... peperit ; haec

verba alludere videntur ad illa sacrae scripturae : *virgo circumdabit virum*, Jerem. 31, 22. — 4, 1. Haec et quae sequuntur ad visitationem B. M. et sanctificationem Johannis Baptistae referuntur.

XLII. C fol. 78 a. — **Adnotanda** : De metro hymnorum, quae sequuntur, vide quae ad hymnum X. adnotavi. — 1, 2, dies a tenebris. Dies Christus est « Quia **Christus dies est verus**, die saeculi recedente oramus et petimus, ut super nos lux denuo veniat ». Cyprianus de orat. domin. Atque in hymno matutino ita Ambrosius servatorem compellit :

Splendor paternae gloriae,
De luce lucem proferens,
Lux lucis et fons luminis,
Diem **dies** illuminans.

2, 1. Similiter Augustinus in illa verba : *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.* « Ergo, inquit, et traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non utique illo uteretur ut vellet. Proinde jam **traditor traditus erat ei**, quem tradere cupiebat ». In Evang. Joh. c. 13, tract. 55. n. 5. — 2, 2. « Ibi ergo lupus ovina pelle contectus et inter oves alto patris familias consilio toleratus, didicit, ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem insidiis appetendo pastorem ». August. In Ev. Joh. c. 18. tract. 113. n. 2. — 2, 3. Cfr. Is. 53, 7. — 2, 4, « Nec mirandum est, quod et in peccatis hominum Deus bene operatur. Nam etiam **de scelere Judae** traditoris Dominus noster salutem humani generis operatus est. Sed hoc interest, quod de cujusque peccato cum aliquid boni Deus fecerit, plerumque id nollet ille peccator, non solum quia, dum peccat, non eo peccat animo, qua providentia Deus de peccato ejus operatur justitiam (non enim hoc animo Judas tradidit Christum, quo animo Christus se tradi passus est), sed etiam quia peccati sui eventum, cum in aliquod melius, quod ipse nollet, pervenire cognoverit, dolet potius quam laetatur. Tamquam si venenum aliquis inimico aegrotanti dari cupiens fallatur in specie medicamenti et aliud pro alio salutare aliquid offerat, fiat et aeger sanus Dei beneficio, qui facinus inimici ejus convertere voluit in salutem ». August. Serm. 10 de Judicio Salomonis n. 5.

XLIII. C fol. 78 b. — **Lectiones variantes** : 1, 4, mortem in funere, C. — 2, 1, tradidi, C. — **Adnotanda** : 1, 1. Haec ex Responsorio altero secundi Nocturni Coenae Domini desumpta sunt, quod magnam antiquitatem redolet versibusque conflatum est :

Judas **mercator pessimus**
Osculo petiit Dominum,
Ille ut agnus innocens
Non negavit Judae osculum.
Denariorum numero
Christum Judaeis tradidit.

Cum quo carmine celeberrimum illud Germanica nostra lingua conscriptum conferatur :

O du armer Judas, was hast du gethan,
Das du vnsern herren also verraten hast.
Darum mustu leiden hellische pein,
Lucifers geselle mustu ewig sein.

2, 2 sqq. Praeclare Abaelardus in sermone XI, qui de passione Domini est, ita Judam, quasi praesens adstet, compellat: « Impudentissime proditor, omnium scelerum abominationes tuis justificans sceleribus. Dispensatoris curam inter ceteros a Domino susceperas, loculos habens et ea, quae poteras, furto subripiens, marsupium tuum non dominicum volens augere, ipsum praesumpsisti Dominum vendere et in pretio pecuniae ipsum mundi pretium ponere. Ad cumulum malitiae tuae ipsos conceptae proditionis gradus intuere, ut nullam abominationem impudentiae deesse cognoscas proditioni tuae. Ipsa nocte, qua tractabas eum tradere, ad coenam praesumens accedere in ejus paropside manum sceleratam et tamquam ipsius sanguine cruentatam inserere non timuisti, ut hoc facto quasi teste tuae conscientiae bonae omnem suspicionem a te removeas. Consors in participatione tam veteris quam novi paschae ac deinceps in ipsa traditione eum ut magistrum salutans et ut lupus agnum osculans, fili perditionis, a mansueto patre audis : *Amice, ad quid venisti ?* Amice quidem non amans sed amate, non diligens sed dilecte, quantum ad exhibitionem familiaritatis et amicitiae. *Ad quid*, inquit, *venis-*

ti? tamquam si diceret : Attende, miser, quantam sine causa praesumis exsecrationem. In quo et Dominus signum proditoris detestans ait : *Juda, osculo filium hominis tradis?* Hoc est : Cur, infelix, osculum in signo proditionis elegisti, quod inter inimicos etiam summa foederatio solet esse pacis ? Infelicissime omnium hominum, bonum tibi esset, si natus non fuisses, quia more abortivorum in utero moriens gravissimam non meruisses poenam ».

XLIV. B, fol. 78 b. — **Lectiones variantes** : 3, 2, sic vesperum C. — **Adnotanda** : Confer cum his in hoc hymmo dictis, quae similia auctor noster dicat in sermone supra laudato : « Ait apostolus : *Si unum patitur membrum, compatiuntur omnia membra* (1 Cor., 12, 26), pro se invicem sollicita. Quid ergo pro capite dolores nostros et peccata portante nos oportet facere? Quis siccis oculis hoc intelligat? Cujus cor lapideum dolor ille non scindat ? Scissum est velum templi in tua, Domine, passione et ad terrae motum ipsa etiam fissa est duritia petrarum. Sol obscuratus est tamquam immanitatem sceleris conspicere non ferret. Ipsa quoque insensibilia, tamquam tuam sentirent passionem, compassionis exhibuerunt affectum. Ut autem et haec compassio nostra penetret ac scindat corda ad intermissa non dimissa caritas suspirans stilum reducat ». — 3, 2 sq. Cfr. Ps. 29, 6. — Notandum praeterea quod tres hymmi XLII-XLIV in Codice Calmontano non nisi unus sunt. Quem divisi ad analogiam ceterorum tam praecedentium quam sequentium, praecipue hymni ad Laudes Parasceves. Ad Vesperas hujus diei hymnus non invenitur, quia ex regula communi in primis vesperis recitandus est hymnus ex hymnis primi et secundi Nocturni compositus, in secundis ex hymnis tertii Nocturni et Laudum.

XLV. C, fol. 79 a. — **Lectiones variantes** : 3, 2, non ingemiat pro ingemat habet Codex, ante quae verba excidit vocabulum duarum syllabarum; quae uncis inclusi in codice desunt, neque ullo modo certus sum, me hac qualicunque conjectura ea, quae Abaelardus scripserit, assecutum. — 3, 4. Quaeque haec saevitia C, quae contra sensum pariter rhythmumque peccant.

Adnotanda : 1, 2. Unctorum maxime. Conferantur, quae disputat Augustinus in explicandis verbis Psalmi : *propterea unxit te Deus*. Haec enim ille : « Et vide, quomodo ait : unxit

te, Deus, Deus tuus. O tu Deus, unxit te Deus tuus. Deus ungitur a Deo. Etenim in Latino putatur idem casus nominis repetitus : in Graeco autem evidentissima distinctio est, quia unum nomen est, quod compellatur, et alterum ab eo, qui compellat. Unxit te Deus. O tu Deus, unxit te Deus tuus ; quomodo si Deus diceret : Propterea unxit te, o tu Deus, Deus tuus. Sic accipite, sic intelligite, sic in Graeco evidentissimum est. Ergo quis est Deus unctus a Deo? Dicant nobis Judaei. Scripturae istae communes sunt. Unctus est Deus a Deo : unctum audis, Christum intellige. Etenim Christus a chrismate hoc nomen, quod appellatur Christus, unctionis est nec in aliquo alio ungebantur reges et sacerdotes nisi in illo regno, ubi Christus prophetabatur et ungebatur et unde venturum erat Christi nomen ». August. Enarr. in Ps. 44, n. 19. Unctorum maximum, tam regem quam pontificem dicit hymnographus, quia et reges et pontifices unctione consecrabantur. Cfr. Retractationum lib. I, c. 26, ubi Augustinus : « quod dixi, inquit, duos pisces duas illas significare personas regiam scilicet et sacerdotalem, ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat, dicendum potius fuit : maxime pertinebat, quoniam unctos aliquando et prophetas legimus ».

XLVI. — C, fol. 79 a. — **Lectiones variantes** : 1, 4, ville, C. — **Adnotanda** : Quae in hoc et sequentibus hymnis, parvis quas vocant horis accommodatis, ponit Abaelardus, eadem fere sunt, quae in horariis passionis dominicae, quorum magnus medio aevo numerus in lucem prodiit, reperiuntur ; e quorum numero maxime pervulgatum est illud : Patris sapientia, veritas divina apud Mone I, 106 sqq. Cfr. v. g. Mone :

N° 82 : Hora prima ductus est Jesus ad Pilatum.
N° 83 : Hora prima praesidi captus praesentatur.
N° 95 : Ad primam praesentatus es tu praesidi Pilato.

Sed haec omnia, ut primo intuenti patet, Abaelardo posteriora sunt.

XLVII. B, fol. 79 b. — **Lectiones variantes** : 2, 3, premitus, B. — **Adnotanda** : Confer Mone :

N° 82 : Crucifige clamitant hora tertiarum.
N° 83 : Hora vero tertia dire flagellatur,

Purpura induitur, spinis coronatur,
Crucifigi petitur, quod mox demandatur...
Nº 96. Ad Tertiam nequissimus ab aequitate cedens
Pilatus atrocissimus pro tribunali sedens...

XLVIII. C, fol. 79 b. — **Adnotanda** : Confer eosdem hymnos ut supra apud Mone :

Nº 82 : Jesus hora sexta est cruci conclavatus.
Nº 83 : Hora sexta patiens cruci applicatur.
Nº 97 : Ad sextam cum funiculis extensus est in cruce.

1, 2. De sole obnubilato Augustinus epistola 199 ad Hesychium : « Non erat talis solis ille defectus, quando crucifixus est Christus. Secundum astrologorum autem numeros certum est solem, quando luna plena est, non posse deficere sed quando finis est lunae, non quidem semper sed aliter nunquam, cum secundum illos numeros deficit ». — « Sol occidit sacrilegis vel refugit, ut funesti spectaculum sceleris obumbraret ». Ambros. In Luc. l. X, n. 128 (Opp. III, 333). Similiter Notkerus Balbulus in sequentia (apud Monium Nº 148) : « Et se crucifigi non despexit, sed sol ejus mortem non adspexit » ; in Cantionibus vero scholarium abbatiae Campensis ad Rhenum inferiorem legimus :

Quando sol clementiam
Vidit pestilentiam
Pati mortis ferae,
Jam lucis praesentiam
Clausit, violentiam
Nequiens videre,
Quam Jesu fecere.

Cfr. Analecta hymnica medii aevi II, 139. — 2, 2. *Sol insensibilis* hoc loco pro : *sol, qui sensu et intelligentia caret.*

XLIX. C, fol. 80 a. — **Adnotanda** : Cfr. hymnos apud Monium, de quibus supra :

Nº 82 : Hora nona Dominus Jesus exspiravit.
Nº 83 : Hora nona moriens Heli vocitavit.
Nº 98 : Ad nonam : Ego sitio, clamasti, Jesu bone, etc.

1, 2. « Tenebrae igitur obfusae sunt oculis perfidorum, ut fidei lumen resurgeret ». Ambros. l. c. — 2, 1 sqq. « **Petrae** scissae sunt, ut per praerupta saxorum ostenderetur futurum, quoniam verbi vis peccatorum dura penetraret, quo facilius e cavis petrarum illi venatores, quos Hieremias (16, 16) praedixit, Domino venarentur. **Monumentorum** autem reseratio nihil aliud, nisi claustris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum, quorum in adspectu fides, in processu typus; quod in sanctam prodeundo civitatem praesentium specie declarabant, in illa Hierusalem, quae in cœlo est, futurum perenne diversorium resurgentium. Scinditur ergo **velum** vetus, ut ecclesia nova fidei suae vela suspendat. Synagogae velamen aufertur, ut religionis interna mysteria revelato mentis cernamus obtutu ». Ambros. ubi supra.

L. C, fol. 81 a. — **Lectiones variantes** : 2, 2. Verbum in versu ultimo trium syllabarum deest in Codice; uncis inclusum, *colitur* supplevi, sed dubito ipsemet, utrum mentem Abaelardi assecutus sim nec ne. Potest enim et verbum synonymum verbi praecedentis versus suppleri. — 3, 4, erat, C.

LI. C, fol. 81 a. — **Lectiones variantes** : 2, 1, quaeque pastor tulerat, C, contra rhythmi leges quodque omnem intellectum tollit. — **Adnotanda** : 1, 2. « Viris enim redeuntibus infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus ». August. In ev. Joh. tract. 121, n. 1. « Denique resurrectionis tempore praesto sunt et **cum viri fugarentur**, solae tamen ab angelo, ne timeant, admonentur ». Ambros. In Luc. l. X, n. 144, vel ut ibidem n. 144 pro ea, qua pollet, succincta nervosaque brevitate ait : « Sexus nutat, devotio calet ». — 2, 2. Arietes gregis apostolos intellige. Similia Augustinus epist. 231 ad Datium : « Orate pro nobis. Lege literas divinas et invenies, **ipsos arietes nostros, apostolos** petiisse hoc a filiis suis sive praecipue auditoribus ». Rationem quandam longius conquisitam, cum vera ratio obvia omnino sit ex Joh. 21, 15 sqq., Petrus Capuanus adducit : « Arietes dicti sunt apostoli, inquiens, quia cornibus utriusque testamenti haereticos ventilabant ». Pitra Spicilegium Solismense III, 25. — 2, 4. Confer illud Ambrosii in hymno paschali 6, 3 :

Metumque solvat caritas.

LII. C, fol. 81 a. — **Lectiones variantes**: 4, 1, paraverat, B. — **Adnotanda** : Unicum hymnum pro Nocturnis invenio in Codice Calmontano. Aut igitur unicum tantum hymnum scripsit pro Nocturnis Sabbati sancti Abaelardus, aut duo hoc loco hymni exciderunt vel saltem unus. Adest nempe hymnus pro secundis Vesperis Sabbati. Et hoc recte quidem. Regula enim generalis, quam statuit in praefatione tertii libelli, pro Sabbato sancto adhiberi nequeunt. In primis Vesperis Sabbati, quae sunt secundae Vesperae Parasceves dicendi sunt hymni ex tertio Nocturno et Laudibus feriae sextae ; in 2 Vesperis Sabbati dicendi essent hymni ex primo et secundo Nocturno Paschae; sed cum hoc ipsum incongruum videri poterat, pro vesperis Sabbati proprium hymnum condidit. Propterea reliqui hymnum eo loco, quem in Codice Calmontano tenet, quamvis, ad ordinem idearum quod attinet, inter hunc potius et sequentem hymnum ponendus; et forte pro 2 Nocturno factus sit. — 2,2 sq. « *Cum ergo recepisset Jesus acetum dixit : Consummatum est.* Quid nisi quod prophetia tanto ante praedixerat ? Deinde quia nihil remanserat, quod, antequam moreretur, fieri adhuc oporteret, tamquam ille, qui potestatem habebat ponendi animam suam et iterum sumendi eam, peractis omnibus, quae, ut peragerentur, exspectabat, inclinato capite tradidit spiritum (Joh. 10, 18). Quis ita dormit, quando voluerit ? Quis ita vestem ponit, quando voluerit ? Quis ita, cum voluerit, abit, quomodo, cum voluit, obiit? Quanta speranda vel timenda est vis judicantis, si apparuit tanta morientis ». August. In ev. Joh. tract. 19. n. 6. — 4, 1 sqq. « Nec otiose alius monumentum novum dixit, alius monumentum Joseph. Non habebat igitur Christus tumulum suum ; etenim tumulus his paratur, qui sub lege sunt mortis, victor mortis tumulum suum non habet. Quae enim communio tumulo et Deo? Denique ecclesiastes ait de eo, qui meditatur in bonis : Et sepultura non est illi (6, 3). Specialis igitur praeter communem omnium mortem mors Christi est, et ideo non cum aliis sepelitur sed solus tumulo includitur : omnia enim in similitudinem hominum habuit incarnatio Domini, sed similitudo erat cum differentia. Natus ex virgine similitudine generationis, dissimilitudine conceptionis... Et mors ergo Christi communis secundum naturam corporis, specialis secundum virtutem ». Ambros. In Luc. l. X, n. 159 (Opp. III, 336 sq.). Cui conferas illud quoque Augustini :

« Mariae virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est ». In ev. Joh. tract. 120, n. 5

LIII. C, fol. 81 b. — **Lectiones variantes** : 3, 1, deest Codici Calmontano vocula *in*, quam supplevi, ut suus sit versui syllabarum numerus. — 3, 2. Non *alasque* sed *alas pristinas* habet Codex, quo fit ut una syllaba pro complendo versu desideretur.

Adnotanda : 1, 1 sqq. Haec ex Physiologo desumpta sunt : en verba graeci Physiologi, quam ex Lauchert, (p. 201) jam supra laudato, transcribo : Τρίτη φύσις τοῦ λέοντος. ὅταν ἡ λέαινα τὸν σκύμνον γεννᾷ, νεκρὸν αὐτὸν γεννᾷ· ἡ δὲ λέαινα ἐπιτηρεῖ τὸ τέκνον, ἕως οὗ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐλθὼν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐμφυσήσῃ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ καὶ ἐγείρῃ αὐτόν. οὕτως καὶ ὁ τῶν ὅλων Θεὸς καὶ Πατὴρ, ἐξέγειρε τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν. καλῶς οὖν ὁ Ἰακὼβ ἔλεγε· « καὶ ὡσεὶ σκύμνον· τίς ἐξεγερεῖ αὐτόν » ; Confer praeterea, quae Lauchert passim de leone, congessit, quaeque L. Gautier in libro : Œuvres poétiques d'Adam de S. Victor (Paris, 1858) I, 78 sqq. Haec Mone I, 195 excerpsit ex Codice Augiae divitis : « Christus dicitur leo de tribu Juda, unde in apocalypsi dicitur de ipso : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, et dicitur de tribu Juda, quia de progenie Juda natus est. Deus pater leoni comparatur, Christus vero leunculo, nam sicut leo leunculos per triduum quasi mortuos tertio die resuscitat per rugitum suum, sic Deus pater filium suum tertia die a mortuis suscitavit, unde bene dicitur leo ». — 2, 1 sqq. De Phoenice item Physiologus : « Fenix figuram gerit Domini nostri Jesu Christi, qui dicit in evangelio suo (Joh. 10, 18) : Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum assumendi eam... Est ergo avis in Indiae partibus, quae dicitur Fenix. De hac dicit Physiologus, quia expletis quingentis annis vitae suae intrat in lignis Libani et replet utrasque alas suas diversis aromatibus, et quibusdam indiciis significatur hoc sacerdoti civitatis Heliopoleos, id est mense novo Nisan aut Cedar i. e. Sarmath aut Faminoth, quod est Martio aut Aprile mense. Cum autem hoc significatum fuerit sacerdoti, ingreditur et implet aram de lignis sarmentorum. Cum autem advenerit volatile illud, introit in civitatem Heliopolim repletum omnibus aromatibus in utrisque alis suis et statim videns factam struem sarmentorum super

aram ascendit et circumvolvens se de aromatibus ignem sibi ipse incendit et ipsum exurit. Alia autem die veniens sacerdos videns exusta ligna, quae composuerat super aram, et scrutans diligenter invenit ibi vermiculum modicum suavissimo odore fragrantem ; et secundo vero die veniens invenit jam aviculam figuratam. Rursum tertia die veniens sacerdos invenit eam statu suo integram atque perfectam seneam [sic] valefacientem sacerdoti et volat et pergit ad locum pristinum suum, etc. ». Cahier et Martin, Mélanges II, 183 sq. Cfr. Vitreaux de Bourges, p. 105, n. 55. Graecum textum vide apud Lauchert l. c. 237 sqq. Cfr. praeterea, quae Augustinus (de anima ejusque origine lib. 1. n. 33) verba scripserit : « Quod enim de phoenice loqueris, ad rem, de qua agitur, omnino non pertinet. **Resurrectionem quippe illa significat corporum,** non sexum destruit animarum : si tamen, ut creditur, de morte renascitur ». De carmine, quod Lactantio tribuitur, non est cur moneam ; de iis, quae carmen contineat, deque auctore, quis sit, vide quae disputat Ebert, Allgem. Gesch. der Lit. des M A. I, 93 sqq. De nativitate, non de resurrectione tropum hunc adhiret carmen Germanicum :

Der ewig gott verjunget ward
Als Fenix in dem fewre,
Ist uns eine grosse stewre

Kehrein, Kathol. Kirchenl. I, 179. Sed praetermittenda non sunt, quae ipse Abaelardus sermone XIII, qui de paschate est, de phoenice disserit, quaeque omnino cum hymno nostro conveniunt. Haec enim habet : « Cujus quidem avis naturam et resurrectionis modos, si ad Christum mystice referamus, convenienter singula ei convenire videbimus. Haec quippe avis, quia unica esse perhibetur, nec masculini nec feminini sexus esse cognoscitur, et quia pullos non generat, nequaquam nidificat. Quae cum sibi mortem post annos plurimos imminere persenserit, struem quandam et domunculam sepulchri ex ramusculis aromaticis vel ipsis aromatibus sibi praeparat, tamquam foetorem cadaveris sui per fragrantiam exprimere satagat. In hanc itaque aromatum structuram se conferens exspirare dicitur et sole desuper aestuante et aromata ipsa

calefaciente combusta in cinerem solvitur. Unde post aliquot dies in modum apis suscitata, paulatim alas et plumas nduens in pristinum redit statum. Quae singula nulli tam congrue ut Christo videntur convenire. Quod enim unica est avis nec parem vel dignitate vel coitu cognoscit, tam excellentiæ quam virginitati Christi pulcherrime aptatur. Quis enim unicus et dignitate singularis ita ut Christus? In quo quoque nec masculum nec feminam apostolus esse dicit (Gal. 3, 28), quia in Christi corpore, quod est ecclesia, nullam dignitatem diversitas sexuum operatur, nec sexuum qualitatem sed meritorum Christus attendit. Nidum haec avis ut ceterae non curat et filius hominis, ubi caput reclinet, non habet (Luc. 2, 58), nec etiam in proprio sed in alieno natus est. Sepulcrum sibi praeparat, quo et aromata congregat. Et Dominus ipse per Joseph sive Nicodemum (Matth. 27, 57) tam sepulchrum sibi quam aromata praeparavit, quibus ipse hanc devotionem inspiravit. Concrematio quoque phoenicis a Christi mysterio non discrepat, in cujus typo carnes paschalis agni non elixae sed assae praecesserunt. Resurgens phoenix formam apis induit, quae corruptionem carnis nescit; quia in illa resurrectionis gloria neque nubent neque nubentur sed erunt sicut angeli Dei in cœlo (Matth. 22, 30) ».

LIV. C, fol. 82 a.— **Lectiones variantes** : 2, 4, sit per animam, C. — **Adnotanda** : 1, 1 sqq. Praeter ea, quae ad hymnum proxime praecedentem, diximus ex Ambrosio accipe, quae sequuntur :

« *Catulus leonis Juda*. Nonne evidenter et patrem expressit et filium declaravit? Quid tam evidens, quo unicus naturae Filius Dei cum patre esse doceatur. Leo ille, hic catulus leonis. Vili comparatione ejusdem naturae et potentiae unitas intelligitur. Rex ex rege processit, fortis ex forte ». De Benedictione patriarcharum c. 4, n. 18.

Et paulo infra : « Habes ergo incarnationem accipe passionem : Recumbens, inquit, dormisti ut leo : quando jacuit in sepulchro velut quodam corporis sui somno quietus sicut ipse ait : *Ego dormivi et requievi et surrexi, quoniam Dominus suscepit me* (Ps. 3, 6). Unde et Jacob ait : *Quis suscitabit eum ?* hoc est, quem Dominus suscipiet. Quis est alius, qui resuscitet, nisi ipse se sua patrisque resuscitet potestate? Video natum auctoritate

propria, video mortuum propria voluntate, video dormientem potestate propria. Qui omnia suo fecit arbitrio, cujus alterius, ut resurgat, egebit auxilio? Ipse igitur resurrectionis suae auctor est, qui mortis est arbiter, qui exspectatur a gentibus ». Ibid. c. 4 n. 20.

LV. C, fol. 82 a. — **Lectiones variantes** : 1, 4, eripi. — **Adnotanda** : 1, 1 sqq. Alludunt ad Gen. 49, 9, de quo loco Beda (Comment. in Genes. c. 48) : « *Ad prædam, fili mi, ascendisti*, ostendit captivum populum reducturum, et juxta intelligentiam sacratiorem, ascendisse in altum, captivam duxisse captivitatem, sive, quod melius puto, captivitas passionem, ascensus resurrectionem significant ». Ipsius Abaelardi plana et lucida est interpretatio nec explicatione ulla indiget.

LVI. C, fol. 82 b. — **Adnotanda** : 2, 1 Cfr. Ps. 109, 7. Super quo loco Pseudo-Beda (PP. LL. 93, p. 1036) : « Hoc est quod dicit, quia *bibit de torrente in via*. Torrens est fluxus nostrae mortalitatis. De hoc torrente Verbum Dei patris bibit veniens in hanc vitam nascendo, moriendo, patiendo. Sed *in via* tantum i. e. in **transcursu** inde bibit, quia immunis ab omni peccato fuit ».

LVII. C, fol. 83 a. — **Lectiones variantes** : 2, 2, dubitum, C. — 2, 4. Quod David, C.

Adnotanda : 2, 3 sq. « In figura Christi David, sicut Golias in figura diaboli, et quod David prostravit Goliam, Christus est, qui occidit diabolum ». August. Enarr. in Ps. 33. Serm. 1, n. 3, Christus, verus David, haec Abaelardi sententia est, hostem prostravit morte quasi gladio, quod suum non erat, quia mors ipsi non conveniebat, sed hanc « de nostro » assumpserat. — 4, 1 sqq. Cum hisce versibus comparanda, quae Augustinus in Ps. 63, v. 7 de dormiente milite facete arguit. — 5, 1 sqq. Quae in doxologia exprimit Abaelardus, eadem sermone XIII de paschate promit his verbis : « Quid igitur mirum, si et biduum illud dominicae passionis ac sepulturae **in luctu compassionis** praecipue ducimus, ut post fletum **gratior habeatur risus**, nec jam dominicae pressurae recordemur, resurrectionis gloria superveniente ». Quae sane praeclarum testimonium sunt pro authenticitate hymnorum, quae ex Codice Calmontano primo hic edidimus. Sed hac de re in Introductione satis dictum.

LVIII. B, fol. 89 a ; C, fol. 84 b.— **Adnotanda**: Metrum hymnorum paschalium ita decurrit :

– – – – ⊥ – ⊥ *a.*
⊥ – ⊥ – ⊥ – ∟
– – – – ⊥ – ∟ *a.*
⊥ – ⊥ – ∟ *b.*
– – – – ⊥ – ∟ *a.*
⊥ – ⊥ – ∟ *b.*

2, 1 sqq. Zabulus, quod idem ac diabolus, mors est. « Mors autem diabolus est, non quia ipse mors est, sed quia per illum mors ». August. Enarr. in Ps. 48, serm. 1, n. 2. Similia Gregorius M. (Moral. 19, 4) : « Qui perditionis et mortis nomine nisi maligni spiritus designantur, qui inventores mortis et perditionis exstiterunt, sicut de ipso eorum principe sub ministri ejus specie per Johannem dicitur : *et nomen illi mors* (Apoc. 6, 8». — Sed mors, quae morte Christi necata est, non corporum sed animorum mors est, quae et secunda dici consuevit. « Est etiam mors, quae in Apocalypsi mors secunda dicitur, qua et corpus et anima igne cruciabuntur aeterno ; quam minatur Dominus ubi dicit : Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam ». August. Contra Julian. l. VI, c. 31. Et alio in loco : Vide duas mortes, unam temporalem eamque primam, alteram sempiternam et eandem secundam. Prima mors omnibus praeparata est, secunda solis malis. Augustin. Serm. 345, de Contemptu mundi n. 4. — 3, 1 sqq. Usitatissimus hic est tropus. Hunc ex hymnographis Latinis ipse primus Ambrosius in hymno adhibet Paschali :

Hamum sibi mors devoret
Suisque se nodis liget.

Ita Hermannus Contractus in Sequentia paschali : « Fac et dignos hoc mysterio, mare siccans, Leviathan perforans maxillam hamo, armilla » (Mone I, 192) ; ita Notkerus in Sequentia *Duo tres :* « O Christe, consanguinee nostrae naturae, nos fove atque per divinam potentiam tuere ab omni incursu inimici et insidiis, quem per carnis edulium delusisti hamo tuae majestatis, fili Dei » (Mone I, 212 sq.). Ita Adamus a S. Victore (Gautier, l. c., I, 69 sq.) :

Praedo vorax, monstrum tarareum,
Carnem videns nec cavens laqueum,
In latentem ruens aculeum
Aduncatur.

Tropum exponit Gregorius M. (homil. 2 de ev. 25, 7): « Per Leviathan cetus ille, devorator generis humani, designatur. Hunc pater omnipotens **hamo cepit**, quia ad mortem illius unigenitum filium incarnatum misit, in quo et caro passibilis videri posset et divinitas impassibilis videri non posset ». Atque fusius etiam idem Gregorius alio in loco (moral. 33, 14): « Dominus noster ad humani generis redemptionem veniens velut quendam de se **in necem diaboli hamum fecit**. Assumpsit enim corpus, ut in eo Behemoth iste quasi escam suam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo injuste appetit, nos, quos quasi juste tenebat, amisit. In hamo ergo ejus incarnationis captus est, quia, dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quae ad se devoratorem duceret, ibi divinitas, quae perforaret; ibi aperta infirmitas, quae provocaret, ibi occulta virtus, quae raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit, unde devoravit ». Hinc Augustinus crucem Domini muscipulae comparat: « Christus tetendit muscipulam crucem suam, posuit ibi quasi escam sanguinem suam ». Serm. 132, 2.

LIX. B, fol. 89 a; C, fol. 85 a. — **Lectiones variantes**: 1, 1. De Mariae, C. — 2, 3. Deus replens hostibus, B; Deus ita abundat, ut etiam vitiet; deest in codice Calmontano ac deesse debet. — 5, 1 sqq. Horum versuum loco legitur in Codice Bruxellensi et editione Pitra: « Deo patri cum filio cum spiritu paraclito ». Haec erronea sunt atque delenda.

Adnotanda: 1, 1. De Maria prophetissa quae hic in hymno paschali posuit, eadem fere sed fusius tractat Abaelardus in sermone XIII, qui et ipse est de die Paschatis. Proposito Exodi 15, 1 ita in dicendo pergit: « Quod quidem feminarum canticum quanto mysterio plenum describatur, diligenter attendite. Hic quippe Maria, quae choro illi feminarum praecinebat, quae cum virum habuisse non legatur, virgo intelligitur, ut non solum voce cantici sed etiam privilegio dignitatis praeiret ceteris, non solum cantasse memoratur sicut Moyses vel

populus, sed etiam prophetes esse describitur et tympanum in manu tenuisse. Quid enim prophetes nisi videns interpretatur? Cum visionem autem, id est revelationem cantat, cui verborum quoque mysteria Dominus revelat, cum in illa videlicet populi liberatione et hostium submersione non tam corporum salutem quam animarum figurari prospiceret, quam quotidie in sacramento baptismatis divina operatur gratia. Tympanum autem, quod manu gestabat, mortificationem carnis insinuat, quam habebat in opere, quo ejus canticum Deo magis esset acceptum ». — 3, 1 sqq. Post illam Moysis sororem alteram hic inducit Mariam Magdalenam. Atque idem omnino idearum ordo et series in sermone laudato, ubi post pauca: « Quodsi novi quoque Testamenti revolvamus seriem et in hac Maria et ceteris cum ea feminis alteram Mariam et cum ipsa devotas feminas, quibus primum Dominus suae resurrectionis gaudium exhibuit competenter intelligamus, reperimus singula his convenienter aptari. Illa quippe prophetes memoratur, haec apostolorum apostola dicitur. Illa corporale tympanum sumpsit, haec spirituale habuit. Quo enim haec viventem Dominum amplius dilexerat, super ejus morte amplius afflicta et quasi mortificata fuerat. Unde et prima de resurrectione consolationem meruit, quae de ejus morte amplius anxia et moesta fuit. Apostolorum autem apostola dicta est, hoc est legatorum legata, quod eam Dominus ad apostolos primum direxerit, ut eis resurrectionis gaudium nuntiaret. Maria illa ceteris in cantico praecinebat, et haec ante alias gaudio resurrectionis primo est potita; et haec prima nuntiando praecinit, quod prima viderat ». Quibus illud Ambrosii de Magdalena dictum adjicio : « Per os mulieris [Evae] mors ante processerat, per os mulieris vita reparatur ». In Luc. l. X, n. 156.

LX. B, fol. 89 a; C, fol. 86 a — **Adnotanda** : De Goliath et David jam supra ad hymnum LVI. Quibus ex Augustino adde : « Provocavit impietas pietatem, provocavit superbia humilitatem, postremo provocavit diabolus Christum. Quid miramini diabolum victum... Deinde illo percusso atque dejecto gladium ejus abstulit et inde caput illi abscidit. Et hoc fecit noster David, dejecit diabolum de suis : quando autem credunt magni ejus, quos ille in manu habebat, et de quibus ceteras animas trucidabat, convertunt linguas suas contra diabolum; **et sic Goliae de gladio**

suo caput abscinditur ». Enarr. in Ps. 143, n. 1 sq. Idem fere in Ps. 118. Serm. 21, n. 11. Ambrosius : Sicut David abstulit Goliae gladium et ipsius gladio caput ejus excussit, sic verus David, humilis atque mansuetus Dominus Jesus, intelligibilis Goliae caput armis ipsius amputavit. Arma enim diaboli gentes erant : fide autem gentium vulneratus, caput, quod habebat, amisit. Detracta sunt spolia prostrato, vasa ejus direpta, quia alligatus est fortis. Vas diaboli caro erat hominis peccatoris ; sed posteaquam in Christum credimus, caro nostra cœpit vas esse electionis. — 1, 5 sq. Sicut Moyses, populum suum de servitute liberans, Christi, ita Pharao diaboli est typus. « Persecutor Aegyptius Pharao, persequitur populum Christianum diabolus ». August. serm. 4, 9. Quare et in hymno *Ad cœnam agni providi* legimus :

Post transitum maris rubri
Christo canamus principi,
. . . .
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.

2, 1. Alludit ad 1 Reg. 18, 7 Abaelardus ; de quo loco Ambrosius : « In cujus [scl. Christi] typo David minor electus ex fratribus, unctus in regnum, solus belli gravis periculo singulari certamine universum populum liberavit, triumphavit de decem milibus, ita ut puellae cum tympanis psallerent : Saul triumphavit in milibus, David in decem milibus. **Quae figura in illis juvenculis nisi animarum, quae thriumphalem psalmum concinunt Christo ?** » Apolog. prophetae David c. 3, n. 12. — 3, 1 sqq. Etiam Samson figura est Christi. « Unde Samson, ita Augustinus (Enarr. in Ps. 80, n. 14), qui etiam interpretatur *Sol ipsorum*, eorum scilicet, quibus lucet, non omnium sicut est oriens super bonos et malos, sed sol quorundam, sol justitiae (**figuram enim habebat Christi**) colligavit, ut dicere coeperam caudas vulpium ». Hinc prosator Sangallensis (apud Monium I, 198) Christum compellit : « fueras praesignatus infernum fracturus, cum Samson, vir invictus, leonem suffocavit et portas hostiles disrupit ». Samsonis ac Goliae typum conjungit Notkerus : « Hanc adamans conjugem [ecclesiam] clauderis Gazae, sed portas effracturus illius, hanc etiam hostibus eruiturus, congressus cum tyranno Goliath, quem lapillo proster-

nis unico ». Conferatur praeterea Sermo sancti Augustini 344, qui de Samsone totus est totusque in eo, ut herois res gestas mystica quadam et allegorica interpretatione ad Christum trahat: « Quid erat Samson? Si dico: Christum significabat, verum mihi dicere videor; sed continuo occurrit cogitantibus: Et Christus vincitur blanditiis muliebribus? Et Christus quomodo intelligitur ad meretricem intrare potuisse? Deinde et Christus quomodo capite nudatur, capillo raditur, virtute spoliatur, alligatur, excaecatur, illuditur? Evigila, fides, attende, quid sit Christus, non solum quid fecit, sed etiam, quid passus est Christus. Quid fecit? Operatus est ut fortis, passus est ut infirmus. In uno intelligo utrumque. Video fortitudinem filii Dei, video infirmitatem filii hominis... Quod autem intravit ad meretricem, si sine causa fecit, quicumque fecit, immundus est: si autem propheta fecit, sacramentum est. Si non ita intravit, ut concumberet cum ea, mysterii causa fortassis intravit. Sed concubuisse non legimus. Sequitur, « inimici vero exspectabant ad portas civitatis, ut comprehenderent eum, cum a meretrice, ad quam intraverat, fuisset egressus. Ille vero dormiebat ». Vide quemadmodum non scriptum est, quia dormiebat. « Ubi exsurrexit, inquit, media nocte exiit et abstulit portas civitatis ipsius cum seris et easdem portas levavit in cacumen montis et ab Allophylis teneri non potuit ». Portas civitatis, quibus ad meretricem intravit, abstulit et in montem levavit. Inferni imaginem tenebat domus meretricis. Recte pro inferis ponitur, quia neminem repellit et omnem intrantem ad se trahit. Agnoscimus hoc loco redemptoris nostri opera. Postquam Synagoga, ad quam venerat, a se per diabolum separata est, posteaquam decalvavit eum, i. e. in loco Calvariae crucifixit, ad inferna descendit; et inimici custodiebant locum dormientis i. e. sepulchrum et capere volebant, quem videre non poterant... Tollit portas tamen civitatis, i. e. aufert portas inferni. Quid est portas inferni tollere, nisi mortis imperium removere? Recipiebat enim et non remittebat. Quid autem fecit Dominus noster Jesus Christus? Ablatis portis mortis ascendit ad cacumen montis. Novimus enim eum et resurrexisse et in cœlos ascendisse ».

LXI. B, fol. 89 b; C, fol. 86 b. — **Lectiones variantes**: 1, 5. Actorem, B. — 2, 4. Frondem arbores, C. — 2, 5. Odorem ex flo-

ribus, B C, *et floribus* Pitra, quod videtur mendum typographicum. — 4, 1. Quae restauret omnia, C ; in Bruxellensi prima syllaba legi nequit, unde *Ut* supplevit Pitra ; ex Cod. Calmont. potius ponendum Qui restauret vel Quo restauret.

Adnotanda : 1, 1. Veris grato tempore. « Est enim pascha, ut vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum reparatio ac taetrae hiemis nocte discussa primi veris restituta jucunditas ». Ex sermonibus Ambrosio perperam tributis serm. 35 de Paschate 2, c. 2, (Opp VI, 474 sq.). In eundem sensum Ennodius : « Ad vernantis anni faciem passionis ac resurrectionis tuae tempus aptasti, cum auctore germinum Domino nobis omnia reviviscunt ». Hinc Notkerus in Paschali Sequentia :

Favent igitur
Resurgenti Christo
Cuncta gaudiis
Flores, segetes
Redivivo fructu vernant
Et volucres
Gelu tristi
Terso dulce jubilant.

Lucent clarius
Sol et luna, morte
Christi turbida.
Tellus herbida
Resurgenti plaudit Christo,
Quae tremula
Ejus morte
Se casuram minitat.

Et in Prosa feriae tertiae ejusdem festi : « En redivivus mundus ornatibus Christo consurgens fideles admonet, post mortem melius cum eo victuros ». Hinc Adamus a S. Victore :

Mundi renovatio
Nova parit gaudia,
Resurgenti Domino
Conresurgunt omnia.

LXII. B, fol. 89 b ; C, fol. 95 b. — **Lectiones variantes** : 1, 3. De montibus vertice, B. — 3, 1. Omnis te turba civium, C. — 3, 4. Ad hunc versum Pitra in notula: *Nova elisio*. Sed, ut jam bis monuimus, nescit Abaelardus elisiones, neque hoc loco ulla est syllaba, quam elidendo perdere fas sit. — 5, 2, supra sidera, C. — 5, 1, summe, B.

Adnotanda : Metrum hymnorum LVII-LXV idem ac hymnorum I-IX. — 1, 1. Alludit ad Cant. 2, 8 poeta. Sponsa, de qua sermo, triplex est: prima sponsa est humana natura individua Verbo hypostatice unita, quam in dextera patris collocavit ; altera sponsa est omnis natura humana, gratia sanctificante Christo

copulata ; tertia sponsa est omnium animarum sanctarum collectio, quae est ecclesia. Hoc tamen loco prima sponsa intelligenda est; de qua divus Augustinus (In Ev. Joh. tract. 8, n. 4) : « Habet ergo hic sponsam suam, quam redemit sanguine suo et cui pignus dedit Spiritum sanctum. Eruit eam de mancipatu diaboli, mortuus est propter delicta ejus, resurrexit propter justificationem ejus. Quis offert tanta sponsae suae ?... Dominus autem securus moriens dedit sanguinem suum pro ea, quam resurgens haberet, quam jam sibi conjunxerat in utero virginis. **Verbum enim sponsus et sponsa caro humana** et utrumque unus filius Dei et idem filius hominis ».

LXIII. B, fol. 89 b ; C, fol. 96 b. — **Lectiones variantes**: 4, 2, super hoc stupentibus, C. — 4, 4, quam veste viridi, C.

Adnotanda : 1, 1 sqq. Haec ex homilia S. Gregorii deprompta sunt, quae legitur in Breviario Romano in octava Ascensionis Domini, ubi lectio VIII ita habet : « Hinc ejusdem ecclesiae voce per Salomonem dicitur : Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Consideravit namque tantorum operum culmina et ait : Ecce iste venit saliens in montibus. Veniendo quippe ad redemptionem nostram quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis, fratres carissimi, ipsos ejus saltus agnoscere ? De coelo venit in uterum, de utero venit in praesepe, de praesepe venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in coelum. Ecce, ut nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit: quia exultavit ut gigas ad currendam viam suam ». — 4, 3. De veste alba angelorum, qui apostolis apparuisse hac die leguntur, idem in eadem homilia Gregorius : « In ascensione ergo ejus angeli in albis vestibus videri debuerunt, quia qui in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis ».

LXIV. B, fol. 89 b ; C, fol. 96 b. — **Lectiones variantes** : 2, 4. Ad hunc versum Pitra hanc addit notulam : Codex aperte *nisi* habet et ita quidem exigit rhythmus. Verumtamen cl. v. Cousin mutavit in *ni*. Verum est, quod de Codice Bruxellensi dicit, qui ponit nisi sed mirum, quod de rhythmo asseverat. Tantum enim abest, ut *nisi* exigat, ut hoc penitus destruatur. Bene Cousin mutavit *nisi* in *ni;* cui suffragatur etiam Cod. Calmontanus. — 4, 4, quod nil, C. — 5, 4, phas Deus dederit. B.

Adnotanda : 2, 1. Cfr. Cant. 1, 3. — 2, 3. Cfr. Ps. 17, 11. — 3, 1. Cfr. Ps. 54, 6. Adde, quae ex Petro Capuano (ad. lit. III art. 7) affert Pitra in Spicilegio Solismensi II, 485 : « Tertia [columba] i. e. mentis simplicitas volat ad videndum Deum per puritatem. Quarta i. e. sanctus volat per profectum virtutum; sic volavit Maria, quae fuit virtutum gratia plena. Quinta i. e. contemplativus volat per inquisitionem et praedicationem ; sic volavit Paulus, qui ab Jerusalem usque ad Illyricum replevit evangelium ». — 3, 3. Cfr. Is. 40, 31. Ps. 102, 5. Qui locus cum alio conferatur necesse est Physiologi : « Physiologus dicit de aquila talem habere naturam : Cum senuerit gravantur alae ipsius et obducunt caliginem oculi ejus. Tunc quaerit fontem aquae et contra eum fontem evolat in altum usque ad aerem solis et ibi incendit alas suas simul et caliginem oculorum exurit de radio solis. Tum demum descendens in fontem trina vice se mergit et statim renovatur tota et in alarum vigore et oculorum splendore multo melius renovatur ». Cahier et Martin, Mélanges, II, 166. Ad hunc locum etiam quae sequuntur : *Dabit cum alis oculos* referenda. — 4,4. Haec ad notissimam illam ex Aristotele Plinioque haustam de aquila fabulam, quem dicunt, pullos secum in aera levare, quos viderit in medium solem lumina irretorta defigere, genuinos agnoscere, quos animadverterit solis radios aegrius ferre, tamquam abortivos ex unguibus dimittere. Hinc de aquila, S. Johannis evangelistae symbolo, in Missali Abrincensi anno 1505 Rotomagi impresso legimus :

Qui dum pullos eligit
Et obtutum dirigit
In solem justitiae,
Visus non reflectitur.

LXV. B, fol. 90 a ; C, fol. 98 a. — **Lectiones variantes**: 1, 1, in altum Deus ascenderet B; *Deus* deest in Cod. C et abesse debet, cum rhythmus id exigat. — 1. 2, Et una secum, B. — 2, 2, ovias, B.

Adnotanda : Totus hymnus poetica paraphrasis est Ps. 23. inde a versu 8. Conferatur cum hoc hymno sequentia, quam ex Missali Zagrabiensi edidi (Analecta hymnica medii aevi X, 36). — 4, 3. Cfr. Is. 63, 1.

LXVI. B, fol. 90 a. — **Lectiones variantes**: 4, 1. *Tau* tamquam διϭύλλαβον legendum, videtur, ne quid versui desit. — 6, 1. Vide

latronum B, ad cujus fidem Pitra. Legendum tamen *Vile.* — 10, 2, quae quasi nave fruendo vita, B; Pitra locum emendavit in hunc modum : *Qui quasi nave fruitur vita;* sed haec probari nequeunt. Non enim vita tamquam nave utimur, sed, si modo patres, si poetas, si liturgias consuluerimus, navem qua vitae maria transfretanda sunt, crucem esse, inveniemus. De cruce seu de ligno vitae in iis, quae proxime praecedunt, sermo est, ita ut, dummodo pro *que* legerimus *qua*, sensus sit : Qua (i. e. cruce) quasi nave fruendo vita (i. e. in hac vita) felici nautae per mare magnum navigandum est. Ita et commodius cuncta interpretantur et a majore textus emendatione abstinere licet.

Adnotanda : De cruce hymnis sequens commune est metrum :

— — — ⊥ — *a*
— — — ⊥ — *a*
— — — ⊥ — *c*
— — — ⊥ — *b*
— — — ⊥ — *b*
— — — ⊥ — *c*.

In fine hymni legitur : *Personis trino*, quod initium doxologiae est, quae proh dolor nusquam integra reperitur. Neque sola doxologia nobis deperiit, sed unus minimum hymnus. Inseram quae bene advertit Pitra in notis, quas huic loco adspersit : « Ex his, inquit, quae in prologo ad tertium libellum monet Abaelardus, manifestum est, quinque ab eo conscriptos fuisse de cruce hymnos, unum, quo *invitatur diaconus crucem de altari tollere et in medio chori afferre*, tres ad tria Nocturna et quintum ad Laudes. Certissime deest primus hymnus ; nam doxologiae dumtaxat initium scribitur ad finem hymnorum, qui supersunt. Asserere non ausim, hymnum ad Nocturnum I aut II deesse ; immo arbitror ex duobus hymnis unum conflatum fuisse a librario. Certe *Salve cœlestis vexillum regis* etc., videtur esse exordium reliqui poematis et facile dividitur post verba : *Est religata.* Memento hymnum XXVI similiter ex duobus conjunctis hymnis constare. Hic tamen aliquantisper obstat tertii versus per totum hymnum eadem desinentia. »

Hymnum hunc LXVI ex duobus conflatum esse suadet stropharum numerus, qui cum duobus sequentibus hymnis compa-

retur, major est; dissuadet ὁμοιοτελεύτων ratio. In tertio hymno omnes versus in *um* desinunt, in secundo in *at*, in nostro in *a*; si duo essent hymni, aliter primi, aliter alterius versus forte desinerent. Est etiam altera difficultas. In secundo et tertio hymno terni versus unam stropham formant vel saltem formare possunt, quia post tertium quemque versum sententia quaedam integra completur atque absolvitur. At in hoc nostro hymno nonnisi sex versus in stropham coalescere videntur, quia post primam, quartam, sextam, octavam, decimam stropham sententia non finitur sed sequentem stropham tamquam sui complementum desiderat. Sed impar est stropharum numerus in hoc et in hymno tertio. Neque illud nos juvat, quod adjecta doxologia, quae excidit, numerus par evadat; quodsi enim in primo et tertio hymno numerum parem efficeret, in secundo imparem eundem redderet. Neque scimus, utrum doxologia sex vel tribus tantum versibus constiterit; si sex, singulae saltem strophae in primo et tertio hymno exciderunt, et quidem in primo hymno sive ante sive post stropham tertiam. Quae cum omnia dubia sint et hymni, proh dolor, in Codice Calmontano desint, hymnos reliqui, prout ipse Pitra eosdem edidit. — 1, 2. Haec ex Fortunato, qui et ipse Augustinum auctorem habuit dicentem : Crux illa *vexillum* nostrum est contra adversarium nostrum diabolum. De Symbolo ad catechum. n. 5. — 4, 1. Cfr. Exod. 12, 7; Ezech. 9, 4; Apoc. 7, 3; 9, 4; 20, 4; Confer et illud Augustini : « Quorum numerus [sociorum Gedeonis] quia trecenti erant, signum insinuat crucis propter literam T Graecam, qua ille numerus significatur ». Quaest. in Jud. l. VII, 9. 37. — 8, 2 sq. Haec, ex Cant. 7, 8 deprompta leguntur in Breviario Lundensi, impresso 1517, tamquam 3. Antiphona super Psalmos in primis vesperis festi inventae crucis : *Dixi ascendam in palmam et apprehendam fructum ejus.* — Ad rem Abaelardus sermone 25 : « Adam novus in ligno crucis redemit et de ligno ligni damna reparavit et noxii pomi letiferum gustum quasi medicamine quodam curavit, fructibus illis de arbore sumptis, de quibus ipsemet ait : *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus.* Quid enim per palmam, qua victoria designatur, nisi crux Domini significatur, qua ipse diabolum triumphavit et in ea nostram redemptionem operans ea, quae ad salutem nostram pertinent, consummavit »? — 10, 1 sqq.

Crucem navem dici, qua per mare hujus saeculi navigatur, non est cur moneam. Infiniti enim ejusmodi loci sunt. Ita : « Et puppe crucis saecula sulca ». Analecta hymnica IX, 278 ; « Tu scala, tu ratis, tu, crux, desperatis, tabula suprema », Mone I, 142. Unum Augustinum audiamus : « Si ad illam stabilitatem nostram, ubi, quod est, est, volumus pervenire, interjacet mare hujus saeculi, *qua* imus, etsi jam videmus, *quo* imus ; nam multi nec *quo* eant, vident. Ut ergo esset, et qua iremus, venit inde, ad quem ire volebamus. Et quid fecit ? Instituit lignum, quo mare transeamus. **Nemo enim potest transire mare hujus saeculi, nisi cruce Christi portatus.** Hanc crucem aliquando amplectitur et infirmus oculis. Et qui non videt longe, quo eat, non ab illa recedat et ipsa illum perducet ». In ev. Joh. tract. 2, n. 2.

LXVII. B, fol. 90 a. — **Adnotanda** : 1, 1 sqq. « Propter quod praefigurandum Moyses Deo miserante ac jubente exaltavit in eremo similitudinem serpentis in ligno, ut similitudo carnis peccati crucifigenda praefiguraretur in Christo. Hanc intuentes salutiferam crucem omne calumniantium superborum virus expellimus ». August. in Ps. 118. Serm. 26, n. 4. — 4, 1 sqq. « Quod de petra aqua educta est, apostolus Paulus, quid esset exposuit, ubi ait : *Et omnes eundem potum spiritualem biberunt ; bibebant enim de spiritali sequente petra, petra autem erat Christus.* Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur. **Sed quod virga petra percutitur, crux Domini figuratur.** Ligno enim accedente ad petram gratia manavit, **et quod bis percutitur, evidentius significat crucem** ; duo quippe ligna sunt crux ». August. Quaest. in Num. lib. IV, q. 35.

LXVIII. B, fol. 90 a. — **Lectiones variantes** : 3, 1. Salix, B, vitio rubricatoris ; non correxit mendum Pitra ; 6, 2, peccatas, B, mendo scriptoris. — **Adnotanda** : 1, 1 sqq. Haec ex Exod. 15, 24. « Et per lignum aquas dulces fecit **praefigurans gloriam et gratiam crucis** ». August. Quaest. in Exod. l. II, q. 57.

LXIX. B, fol. 90 B ; C, fol. 101 a. — **Lectiones variantes** : 1, 1. Ad ventum, C. — 2, 5. Tu hac da nobis Domine gratiam, B contra rhythmi rationem. — 5, 1 sqq. Excidit stropha in C sed in margine adscripta est. — 6, 3, praemium vel bravium, B, quorum alterutro versui satisfit. — 7, 4, est spiritus regni, B, quorum altera vox abundat. — 8, 4, in quo sunt, C. — 9, 1. Populorum

precibus, B ; addit Pitra : Arbitror legendum : *O populorum precibus*. Quid legendum, indicat Cod. Calmont., licet hoc loco *Apostorum* pro *Apostolorum* scripserit ; sed in sequentibus hymnis recte. — 9, 4. Isdem nos charismatibus, BC, idque recte, unde nullatus assentiendum Pitrae, qui suppresso *nos* legere vellet *Iisdem*.

Adnotanda : Hymnorum paschalium rhythmi ad normam schematis infrascripti decurrunt :

```
            – – – ⊥ – ⊥ – ∟ a
            – – – ⊥ – ⊥ – ∟ b
            – – – ⊥ – ⊥ – ∟ a
            – – – ⊥ – ⊥ – ∟ b
– – – ⊥ – ∟ | – – – – ⊥ – ∟ c
    – – – – | – – – – ⊥ – ∟ c
    – – – – | – – – – ⊥ – ∟ c
```

Totus est hymnus in septem donis, quae vocant, Spiritus sancti explicandis. Horum donorum fons et origo Is. 11, 2 sq. habendus est. « Ipsum septenarium numerum sancto Spiritui quodammodo dedicatum, commendat scriptura et novit ecclesia ». August. de Genesi ad lit. l. V, c. 5. Fusius idem in Serm. de 10 plagis et de 10 praeceptis : « Ad hoc septenarius numerus etiam Spiritui sancto deputatur, hoc scripturae nostrae satis indicant. Viderint meliora meliores et majora majores et de isto septenario numero subtilius aliquid ac divinius aliquid dicant et explicent. Ego tamen, quod in praesenti sat est, illud video, illud vos ad videndum commemoro, septenariam istam rationem inveniri proprie sancto Spiritui deputatam, quia septimo die sonat sanctificatio. Et unde probamus sancto Spiritui deputari septenariam numeri rationem ? Dicit Isaias, Spiritum Dei venire super fideles, super Christianum, super Christi membrum sapientiae et intellectus, concilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, spiritum timoris Dei. Si secuti estis, septem res percucurri tamquam descendentem ad nos spiritum Dei a sapientia usque ad timorem, ut nos ascendamus a timore ad sapientiam. *Initium sapientiae timor Dei* (Prov. 1, 7). Ita ergo septenarius spiritus et unus spiritus, septenaria operatione unus. An aliquid evidentius vultis ? Pentecosten diem festum Scriptura sancta de septimanis factum commemorat. Ha-

betis in scriptura Tobiae, ubi evidenter dicitur istum diem factum de septimanis (Tob. 2, 1 sec. LXX). Septies enim septem quadringinta novem in summa redeunt. Sed tamquam ut redeatur ad caput, Spiritu enim sancto ad unitatem colligimur, non ab unitate dispergimur, ideo ad quadraginta novem additur unum unitatis et sunt quinquaginta... Itaque, fratres, manifestum est septenarium istum numerum ad Spiritum sanctum pertinere ». Serm. 8 de 10 plagis et praeceptis, n. 13. Cfr. August. Enarr. in Ps. 150.

LXX. B, fol. 90 b; C, fol. 101 b. — **Lectiones variantes** : 3, 1. Sivinum, B ex vitio rubricatoris. — 3, 4. Mittam, C; mittem, B — 7, 1 sqq. desunt, B.

Adnotanda : 3, 2. Spiritus sanctus amor Dei seu caritas nominatur et est secundum illud hymni: *Fons vivus, ignis, caritas*. Hinc Augustinus (de Quantitate animae c. 34. n. 77 Deum) « creatorem, **ex** quo omnia, **per** quem omnia, **in** quo omnia » esse affirmat « incommutabile principium, incommutabilem sapientiam, *incommutabilem caritatem* ». Cum vero caritas sit « summe diffusiva sui », hinc fit, ut Spiritus sanctus munus quoque vel donum Dei dicatur : « *altissimi donum Dei* », uti in hymno laudato legimus. Hinc S. Augustinus Confessionum libro XIII, c. 9 : « Numquid aut pater aut filius non superferebatur super aquas ? Si tamquam loco, sicut corpus, nec Spiritus sanctus. Si autem incommutabilis divinitatis eminentia super omne mutabile, et Pater et Filius et Spiritus sanctus superferebatur super aquas. Cur ergo tantum de spiritu tuo dictum est hoc ? Cur de illo tantum dictum est ? Quasi locus ibi esset, qui non est locus, de quo solum dictum est, quod sit **donum** tuum. In dono tuo requiescimus, ibi te fruimur ». Et alibi : « Ecce unum Deum colo, unum omnium principium et Sapientiam, qua sapiens est, et ipsum **Munus**, quo beata sunt, quaecunque beata sunt ». De vera Religione c. 54, n. vero 112; atque ibidem post pacua : « Quare ipsum **Donum Dei** cum patre et filio aeque incommutabile colere et tenere nos convenit, unius substantiae Trinitatem, unum Deum, a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus ».

LXXI. B, fol. 90 b ; C, fol. 102 b. — **Lectiones variantes** : 4, 1. Tumus C, vitio rubricatoris. — 4, 3 sq. Splendentis in speciem ignis clare, B. — 7, 1 sqq. desunt, B.

Adnotanda : Veterem legem legi novae opponit Abaelardus. Illa timoris, haec amoris, illa in Sina promulgata, haec in coenaculo lata, illa in tabulis lapideis scripta, haec in cordibus impressa. Similia apud Augustinum reperimus. Ita Enarrat. in Ps. 90 Serm. 2, n. 8. legimus : « In lege autem, in libro Moysi Exodo a die agni occisi et manducati quinquaginta dies numerantur et data est lex in tabulis lapideis scripta digito Dei. Quid sit digitus Dei, evangelium nobis exponit, quia digitus Dei Spiritus sanctus est. Quomodo probamus ? Dominus respondens eis, qui illum dicebant in nomine Beelsebub ejicere daemonia ait : *Si ego in Spiritu Dei ejicio daemonia.* Aliud evangelista cum hoc narraret : *Si ego*, inquit, *in digito Dei ejicio daemonia.* Quod ergo positum est in uno aperte, positum est in altero obscure. Nesciebas, quid sit digitus Dei ; exponit alius evangelista, dicens eum esse spiritum Dei. Digito ergo Dei scripta lex data est die quinquagesimo ab occisione agni, et Spiritus sanctus venit die quinquagesimo a Passione Domini nostri Jesu Christi. Occisus est agnus, factum est Pascha, impleti sicut quinquaginta dies et data est lex. Sed lex illa ad timorem, non ad amorem. Ut autem timor converteretur ad amorem, occisus est justus jam in veritate, cujus typus erat ille agnus, quem occidebant Judaei. Resurrexit et a die Paschae agni occisi numerantur quinquaginta dies et venit Spiritus sanctus jam in plenitudine amoris non in pœna timoris ». Atque his affine est, quod sermone 156 de verbis apostoli, n. 4. profert, exponendo illa verba : Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem (Rom. 5, 15) : « Quid est iterum ? Quomodo terrente molestissimo paedagogo. Quid est iterum ? Sicut in monte Sina accepistis spiritum servitutis. Dicit quis : Alius est spiritus servitutis, alius spiritus libertatis. Si alius esset, non diceret apostolus iterum. Idem igitur spiritus sed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione ». Et in sermone huic proxime praecedenti : « Sed videte, inquit, ibi quomodo et hic quomodo. Ibi plebs longe stabat, timor erat, amor non erat. Nam usque adeo timuerunt, ut dicerent ad Moysen : Loquere tu ad nos et non nobis loquatur Dominus, ne moriamur. Descendit ergo, sicut scriptum est, Deus in Sina in igne sed plebem longe stantem territans, digito suo scribens in lapide non in corde. Huc autem quando

venit Spiritus sanctus, congregati erant fideles in unum nec in monte terruit sed introvit in domum. De cœlo quidem factus est subito sonus, quasi ferretur flatus vehemens, sed nullus expavit. Audisti sonum, vide et ignem, quia et in monte utrumque erat et ignis et sonitus, sed illic etiam fumus, hic vero ignis serenus ». Serm. 155, de verbis apost. n. 5.

LXXII. B, fol. 91 a; C, 103 b. — **Lectiones variantes** : 4, 4, opposuit, C. — 5, 4, sit haec, B. — 6, 2, verba : *hic est spiritus* desunt B ; quae Pitra in notula legenda proponit longius a genuina lectione aberrant. — 7, 1, sqq. desunt, B.

Adnotanda : 1, 4. De linguis haec animadvertit Augustinus : « Nec ideo modo non datur Spiritus sanctus, quia linguis non loquuntur, qui credunt ; ideo enim oportebat, ut linguis loquerentur, **ut significarent, omnes linguas Christo credituras.** Ubi impletum est, quod significabatur, miraculum ablatum est ». Enarr. in Ps. 130. n. 5. Et alio in loco : « Propter hanc societatem illi, in quos primitus venit, linguis omnium gentium sunt locuti. Quia sicut per linguas consociatior est societas generis humani, sic oportebat per linguas omnium gentium significari istam societatem filiorum Dei et membrorum Christi futuram in omnibus gentibus, ut quemadmodum tunc ille apparebat accepisse Spiritum sanctum, qui loquebatur linguis omnium, ita se nunc ille agnoscat accepisse Spiritum sanctum, qui tenetur vinculo pacis Ecclesiae, quae diffunditur in omnibus gentibus ». August. Serm. 71 de verbis Evang. (Matth 12, 22) n. 28. — 2, 1 sq. « Quando merito elatioris impietatis gentes linguarum diversitate punitae atque divisae sunt, et civitas impiorum **confusionis** nomen accepit, hoc est appellata est Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea, quae antea fuit, lingua remaneret ». August. de Civit. XVI. 11. — 3, 1 sq. Vide quae ad superiorem hymnum ex Augustino allata sunt.

LXXIII. B, fol. 91 a. — **Lectiones variantes** : 3, 2, consecrat, B. — **Adnotanda** : Hymnis a LXXIII ad LXXVII haec rhythmi norma subest :

– – – – – ⊥ – ∟
– – – – – ⊥ – ∟ *a*
– – – – – ⊥ – ∟
– – – – – ⊥ – ∟ *a*

1, 3 sq. Haec ad ea alludunt, quae 2. Par. 7 narrantur.

— 2, 4. Ad vocem *basileon* haec Pitra subdit in notula: Linguam Graecam plane Abaelardo ignotam fuisse, hinc et aliunde constat. Si aliunde, bene; hinc plane non constat, cum formae in on desinentes a Graeco derivatae non apud solum Abaelardum sed passim apud auctores medii aevi occurrant. Confer e. g. quae scripsi in Introductione ad Analectorum hymnicorum. Vol. VI p. 8 sq. n. 10.

LXXIV. B, fol. 91 a. — **Adnotanda** 1, 1. *Spiritale signum est*, ita Cod. Bruxellensis, quod mutavi, ut in textu videre est. Sensus est: Templum hoc visibile est signum templi spiritalis; de duplici templo sermonem esse, quae sequuntur (*in illo, in hoc*) aperte indicant. Ceterum totus hymnus satis jejuna rituum enumeratio est, quae in dedicatione templi praescribuntur, quae explicatione ulla non indiget.

LXXV. B, fol. 91 b. — **Lectiones variantes**: 4, 1. Ligatis B. — 4, 2, inter, B. — 4, 4, quosque vel vota, B, quorum aut hoc aut illud usurpandum est. — **Adnotanda**: Sicut prior hymnus in ritibus consecrandae ecclesiae, ita hic in caerimoniis altaris benedicendi totus est. Qui duo hymni pessimi certe sunt omnium, quos Abaelardus conscripsit. Nihil sunt nisi rituale versificatum.

LXXVI. B, fol. 91 b. — **Lectiones variantes**: 6, 2. Grabriel, B. — 10, 2, vocis, B. — 11, 1. Quis hic fidelium, B. — 12, 1. Hiezita B; legendum Giezita; agitur de Simonia, cujus exemplum quoddam seu preambulum Giezi, Elisaei famulus, censetur, qui a Naaman Syro dona inscio seu potius invito propheta accepit. Hinc in carmine quodam apud Du Méril, Poésies populaires, 1843, p. 142, nota 1, legimus:

Lupus pastorizat,
Pastor *giezizat*,
Ovis simonizat.

Adnotanda: Hic demum hymnus Abaelardo non indignus, planus tamen et qui interpretatione non indigeat. Unum adnoto, quod 8, 1 sqq. ad Heb. 1, 14 alludere videntur; 11, 1 sqq. vero sumpti sunt ex collecta in festo dedicationis ecclesiae: « Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui reparas diem et sacris semper mysteriis repraesentas incolumes: exaudi preces populi tui et praesta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur ».

PETRI ABAELARDI

HYMNORUM LIBELLUS TERTIUS

COMPLECTENS

HYMNOS DE SANCTIS

PRAEFATIO

Superioribus duobus libellis quotidianos feriarum hymnos et solemnitatum divinarum proprios digessimus. Nunc vero superest ad coelestis gloriam regis et communem fidelium exhortationem ipsam quoque superni curiam palatii debitis hymnorum, prout possumus, efferre praeconiis. In quo quidem opere ipsi me praecipue adjuvent meritis, quorum gloriosae memoriae qualiuncunque laudum munuscula cupio persolvere juxta quod scriptum est « *Memoria justi cum laude* » (1) et iterum « *Laudemus viros gloriosos* » (2).

Vos quoque obsecro, sorores carissimae Christoque dicatae, quarum maxime precibus hoc opus agressus sum, vestrarum adjungite devotionem orationum, illius memores beatissimi legislatoris, qui plus orando quam populus (3) potuit dimicando (4). Et ut caritatem vestram in orationum copia largam inveniam, pensate diligenter, quam prodigam vestra petitio nostram habeat facultatem. Dum enim divinae gratiae laudes pro nostri ingenioli [modo] (5) prosequi studeremus, quod de ornatu deest eloquentiae, recompensavimus hymnorum multitudine, singulis videlicet singularum solemnitatum nocturnis proprios componentes hymnos, cum unus solummodo hucusque hymnus in festis quoque sicut in feriis ad nocturnos praecineretur.

Quatuor itaque hymnos singulis festivitatibus ea ratione decrevimus, ut in unoquoque trium nocturnorum proprius decantetur hymnus et laudibus insuper matutinis non desit suus. Ex quibus rursus quatuor instituimus, ut duo in vigilia pro uno conjungantur hymno et duo reliqui similiter ad vesperas ipso die solemni recitentur, aut ita bini et bini in

singulis vesperis dividantur, ut cum duobus prioribus psalmis unus, cum duobus reliquis alius decantetur. De cruce autem, memini, quinque conscripti sunt hymni, quorum primus singulis praeponatur horis, invitans diaconem crucem de altari tollere et in medio chori afferre atque ibidem eam quasi adorandam ac salutandam statuere, ut in ejus quoque praesentia tota per singulas horas peragatur solemnitas.

LXXVII

In festis Beatae Mariae

In 1 Nocturno.

1. Deus, Dei verbum,
Patri coaeternum,
Mens ex Deo nata,
Nata non creata;

2. Per quam factus mundus,
Per quam reparatus :
Votis supplicantum
Intende servorum.

3. Judex noster, Christe,
Nostri miserere,
Ignosce nunc bonus,
Ne condemnes justus.

4. Esto nobis natus,
Esto nobis passus,
Qui das spem salutis
In utroque nobis.

5. Ne sit nasci vanum,
Ne sit pati cassum
Nec insultet hostis
Nobis in te fisis.

6. Uni sit et trino
Perpes Deo honor,
Ex quo, per quem cuncta,
In quo sunt creata.

LXXVIII

In 2 Nocturno.

1. Mater pietatis,
Adsis pia nobis
Nec spe sua fraudes
De te praesumentes.

2. Per te Dei factus.
Ad nos est descensus,
Per te conscendendum
Nobis est ad ipsum.

3. Per te reducamur,
Qui te profitemur
Ejus ad nos portam
Et ad eum nostram.

4. Uni sit et trino
Perpes honor Deo,
Ex quo, per quem cuncta,
In quo sunt creata.

LXXIX

In 2 Nocturno.

1. Mater salvatoris,
Vide quid dicaris,
Pensa singularem
Nominis honorem.

2. Comple dictum facto
Sed labore nullo,
Quot vis, una prece
Reos absolvente.

3. Jure quippe matris,
Quidquid postulabis,
Apud tam benignum
Impetrabis natum.

4. Sanctam matrem justus
Non offendet natus,
Nec ferent repulsam
Tuae preces ullam.

5. Virtus sanctitatis
Et potestas matris
Quantumcumque magnum
Obtinebunt donum.

6. Preces supplicantis
Non contemnet matris,
Qui parere patri
Jubet sive matri.

7. Uni sit et trino
Perpes honor Deo,
Ex quo, per quem cuncta,
In quo sunt creata.

LXXX

Ad Laudes.

1. Singularis mater,
Quia virgo semper,
Mater et hoc Dei,
Ad te clamant rei.

2. Ad te nos clamantes,
Ad te suspirantes
In districta causa
Juves advocata.

3. Opem quodam modo
Toti debes mundo,
Quam velut ex jure
Postulamus a te.

4. Totum id honoris
Nacta es pro nobis,
Ut sis vitae porta
Sicut mortis Eva.

5. Ad hoc es creata,
Ad hoc praeelecta,
Causam recognosce
Et effectum comple.

6. Mundo debes opem,
Mundus tibi laudem,
Spes post Deum nostra,
Nobis Deum placa.

7. Uni sit et trino
Perpes honor Deo,
Ex quo, per quem cuncta,
In quo sunt creata.

LXXXI.

In festis SS. Angelorum

In 1 Nocturno.

1. Angelorum hominumque * factor et dispositor,
Immo rerum quarumcunque * tam rector quam [conditor
Id, quo vivit, quisque perdit * tuae laudis immemor.

2. Illi sursum, hi deorsum * juges agant gratias,
Coeli summa, terrae ima * laudes reddant consonas,
Nullas laude fas sit esse * partes mundi vacuas.

3. Nullum tempus, nullus locus * creatoris omnium
Laude vacet, cujus nunquam * cessat beneficium
Malis quoque quibuscumque * finem servans opti- [mum.

4. Ex quo, per quem, in quo cuncta, * perpes ipsi gloria,
Cujus regnum sine fine * regna regit omnia,
Ad adventum sancta suum * disponuntur saecula.

LXXXII

In 2 Nocturno.

1. Mulieris decem drachmas * designavit Dominus,
Quarum una sit amissa * novem remanentibus,
Quo beati distinguuntur * a lapsis spiritibus.

2. Novem esse supernorum * ordines spirituum
Expletisque locis sacrum * tradidit eloquium,
Nec cum suis inde lapsum * praeterivit zabulum.

3. Quorum quidem detrimentum * tamquam drachmam [perditam
Restaurare Deus volens * et ovem centesimam
Reportare pius pastor * nos elegit decimam.

4. Ex quo, per quem, in quo cuncta, * perpes ipsi gloria,
Cujus regnum sine fine * regna dedit omnia,
Ad adventum cuncta suum * disponuntur saecula.

LXXXIII

In 3 Nocturno.

1. Quam felices supernorum * agminum exercitus,
Quorum summum regem Deum * Sabaoth hinc dici-
[mus,
Pollet in his proeliator * Michael magnificus.

2. Quo pugnante cum dracone * fit in coelo proelium,
Donec ille pulsus inde * casum ferat maximum
Atque Deo persolvatur * gratiarum canticum :

3. Facta salus est et virtus, * regnum et potentia
Dei nostri sive Christi, * pulsa jam nequitia,
Fratres nostros incessanter * accusare solita.

4. Ex quo, per quem, in quo cuncta, * perpes ipsi gloria,
Cujus regnum sine fine * regna regit omnia,
Ad adventum cuncta suum * disponuntur saecula.

LXXXIV

Ad Laudes.

1. Quis ut Deus, tam virtute * protestans quam nomine,
Hic bellator Dei fortis * et contritor Satanae,
Intumentem calcans anguem * os transfigit cuspide.

2. Hujus nobis bellatoris * opem postulantibus,
Quos infestat incessanter * idem adversarius,
Nostra Deus spes et salus, * non differri quaesumus.

3. Quo pro nobis dimicante * victus cedat zabulus
Et cum suis hoc expulso * pravis satellitibus
Mens quieta tibi vacet * et exsultet spiritus.

4. Ex quo, per quem, in quo cuncta, * perpes ipsi gloria,
Cujus regnum sine fine * regna regit omnia,
Ad adventum cuncta suum * disponuntur saecula.

LXXXV

In festis Apostolorum.

In 1 Nocturno.

1. Apostolici * culmen ordinis
Novis recreat * mundum gaudiis,
Quem exhilarat * festis annuis.

2. Hi signiferi * sunt ecclesiae,
In dominica * duces acie,
Post hos martyrum * laus militiae.

3. Tamquam pedites * sancti reliqui
Abstinentiae * longae dediti
Non deficiunt * castris Domini.

4. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

LXXXVI

In 2 Nocturno.

1. Apostolicis * recte laudibus
Cunctis intonat * mundus partibus,
Per quos cunctis est * Deus cognitus.

2. Apud Israel * notum antea
Nomen Domini * nunc ad omnia
Per hos prodiit * mundi climata.

3. Ad hoc omnium * linguis praediti
Et miraculis * erant splendidi,
Verbo pariter * et re maximi.

4. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

LXXXVII

In 3 Nocturno.

1. Regum solia, * philosophici
Celsas cathedras * magisterii
Hi subjiciunt * jugo Domini.

2. Vires bellicas * plebs invalida,
Eloquentiam * lingua rustica,
Mundum subigit * turba modica.

3. Inde gladiis * reges dimicant,
Hinc philosophi * verbis intonant,
Sed miraculis * victi supplicant.

4. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

LXXXVIII

Ad Laudes.

1\. Stulta saeculi, * mundi infima
Christus eligens * sapientia
Quaeque conterit * et sublimia.

2\. Nil urbanitas * hic rethoricae,
Nil verbositas * agit logicae
Sed simplicitas * fidei sacrae.

3\. Eloquentia * cessit Tullii,
Tace, dictum est * Aristoteli,
Leges proferunt * mundo rustici.

4\. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

LXXXIX

De SS. Petro et Paulo.

Hymnus prior.

1. Piscatoria * modo linia
Imperatoris * saepe genua
Deo supplicant * procumbentia.

2. Non impar Paulus * vitae merito
Diademate * pollet gemino,
Virgo candido, * martyr rubeo.

3. Beatissimos * mundi principes,
Bello socios, * morte comites,
Haec ad superos * transmisit dies.

4. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

XC

Hymnus alter.

1. Princeps apicis * apostolici,
Pastor ovium * gregis Domini,
Has custodia * serva vigili.

2. Arte melius * utens pristina,
Piscans homines.* trahe retia,
Complens Domini * sic pollicita.

3. Prote claviger * aulae coelicae,
Fores aperi, * manum porrige,
Quos ad Dominum * ducis, suscipe.

4. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

XCI

De sancto Paulo.

1. Tuba Domini * Paule maxima,
De coelestibus * dans tonitrua,
Hostes dissipans * cives aggrega.

2. Doctor gentium * es praecipuus,
Vas in poculum * factus omnibus,
Sapientiae * plenum haustibus.

3. Mane Benjamin * praedam rapuit,
Escas vespere * largas dividit,
Vitae ferculis * mundum reficit.

4. Hic rhinoceros * est indomitus,
Quem ad aratrum * ligans Dominus,
Glebas vallium * frangit protinus.

5. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

XCII

De S. Jhoanne evangelista.

1. Coelo celsius * volans aquila,
Ad dominici * sinus abdita
Nidi contulit * habitacula.

2. Solis intuens * illic radios
Summo jubare * beatissimos
Visum reficit, * pascit oculos.

3. Ex substantia * solis ignea
Calor prodiens * et lux genita
Oblectamina * praebet maxima.

4. Perpes gloria * regi perpeti,
Exercituum * Christo principi,
Patri pariter * et spiritui.

XCIII

In festo Evangelistarum.

In 1 Nocturno.

1. Quadrigae Christi vehiculum
Torcular gestat dominicum,
Quo botrus pressus in poculum
Reficit corda fidelium.

2. Scripturae textum dominicae
Quadrigae corpus intellige,
Qua Dei verbum innumerae
Delatum tenent ecclesiae.

3. Quadrigae rotae volumina
Quatuor sunt evangelica,
Quorum scriptores clarissima
Promeruere solemnia.

4. Gloria patri et filio
Spirituique paraclito,
Uni tam Deo quam Domino,
Cum sint personae tres numero.

XCIV

In 2 Nocturno.

1. Torcular crux est dominica,
Botrum hic Christum considera,
Vecte suspensum hunc mystica
Praefiguravit historia.

2. Hunc deferentes ad populum
Fertilitatis indicium
Hi sunt, qui crucis mysterium
Mundi salutem aperiunt.

3. Prior non videns, quem bajulat,
Christi prophetas significat,
Is qui succedit, ut videat,
Visa narrantes hos denotat.

4. Gloria patri et filio
Spirituique paraclito,
Uni tam Deo quam Domino,
Cum sint personae tres numero.

XCV

In 3 Nocturno.

1. Quatuor haec animalia
Variis formis distantia,
Visio refert prophetica
Apocalypsisque mystica.

2. A dextris homo concipitur
Eique leo conjungitur,
Vitulo laeva conceditur,
Aquila superextollitur.

3. Alis quaternis hae praedita
Vel faciebus sunt singula,
Oculis plena sunt corpora,
Ut nec his dorsa sint vacua.

4. Gloria patri et filio
Spirituique paraclito,
Uni tam Deo quam Domino,
Cum sint personae tres numero.

XCVI

Ad Laudes.

1. Eunt cum illis euntibus
Atque stant rotae cum stantibus,
Levantur cum se levantibus,
Cum eis vitae sit spiritus.

2. Pedes eorum pedes recti
Plantaque pedis ut vituli,
Tamquam ex aere sint candenti,
Scintillae visae sunt progredi.

3. Carbonum instar ardentium,
Lampadum habent splendentium,
In modum visa micantium
Ire, redire sunt fulgorum.

4. Gloria patri et filio
Spirituique paraclito,
Uni tam Deo quam Domino,
Cum sint personae tres numero.

XCVII

In festis Martyrum.

In 1 Nocturno.

1. Scutum Deus omnium
Et corona martyrum,
Tam causa certaminum
Quam palma certantium.

Per inermes dimicas
Et armatos superas,
Intus arma fabricas,
Quibus pugnat caritas.

His confisa * bene virtus
Nudum hosti * praebet pectus,
Quam a dextris * et sinistris, * muniunt
A laesuris * universis * protegunt,
In hanc pugnae * quantaecunque * saeviunt,
Spes securam, * fides certam * faciunt.

2. Per hanc pectus martyris
Turris fortitudinis,
In cunctis periculis
Persistit immobilis.

Eriguntur machinae
Hinc illinc innumerae,
Diriguntur saxeae
Moles in hanc undique.

Pugnat totus * mundus extra,
Salvat unus * Deus intra,

Ferro, flammis * caecus hostis * saeviens,
Nescit, intus * quae sit virtus * protegens,
Crebros ictus * dat assultus * vehemens,
Sed est intus * Dei virtus * praevalens.

Multa sunt, * magna sunt
in sanctos proelia,
Pauca vel * parva sunt,
quantum ad praemia;
Cujus haec * dona sunt,
regi sit gloria.

XCVIII

In 2 Nocturno.

1. Exquiruntur omnia
Tormentorum genera,
Ut probetur maxima
Martyrum constantia.

Fornax aurum excoquit
Sicque purum efficit,
Vim sinapis accipit,
Dum quis eam atterit.

Exercentur * ferramenta,
Damno suo * parant cuncta,
Consumuntur, * dum tunduntur * lapides,
Hebetantur, * dum dolantur * arbores,
Illis malos, * istis bonos * compares,
Cum affligi * vides Christi * milites.

2. Probra, carcer, vincula,
Flagella, spectacula,
Nuditas, inedia
Poenae sunt praeludia.

Flammis, aquis, gladio,
Ungulis, equuleo
Omnique patibulo
Pugnatur in ultimo.

Sed ut poena * protendatur,
Poenae finis, * mors differtur
Optant mori * diu torti * martyres,
Sed, qui necant, * mori vetant * principes ;

Delicatae * viris mixtae * virgines,
Ut in poena * sunt in palma * comites.

Multa sunt, * magna sunt
in sanctis proelia,
Pauca vel * parva sunt,
quantum ad praemia ;
Cujus haec * dona sunt,
regi sit gloria.

CXIX

In 3 Nocturno.

1. Pugnant mundi principes,
Daemonum satellites,
Vincunt Christi milites
Voti sui compotes.

Nec huic militiae
Vel tantae victoriae
Praemiique gloriae
Desunt quoque feminae.

Sicut fortis * sic infirmus
Pugnat et triumphat sexus,
Ut haberent * summi regis acies
Suas quoque * cum viris amazones,
Quae, quo magis * natura sunt debiles,
Palmae harum * magis sunt mirabiles.

2. Viri cum uxoribus,
Fratres cum sororibus,
Filii cum matribus
Belli stant congressibus.

Virum uxor animat,
Natos mater roborat
Et coelo regenerat,
Quos terra genuerat,

Ipsos statim * secutura
Holocaustum * Christo facta.
Soror fratrem * provocat, ut dimicet,
Et tam verbis * quam exemplis admonet;

Quid hic agant, * nisi pugnent, juvenes,
Cum bellantes * intuentur virgines?

Multa sunt, * magna sunt
in sanctos proelia,
Pauca vel * parva sunt,
quantum ad praemia ;
Cujus haec * dona sunt,
regi sit gloria.

C

Ad Laudes.

1. Turris his Davidica
Certa dat praesidia,
Habens ad munimina
Scuta, propugnacula.

Armatura fortium
Omnis haec est omnium,
Ad quorumvis hostium
Propulsandum impetum.

Hinc athletae * pugnant Christi
Et irident * hostes tuti.
Adamante * bitumen robustius
Nec securis * dissipat nec malleus,
Circumseptus * miles hic ab hostibus
Cassis horum * insultat conatibus.

2. Hac nos quoque, Domine,
Turre semper protege,
Vallo nos et aggere
Tuo vallans undique.

Ne quis hosti pateat
Aditus, quo feriat,
Hic te quisquis invocat,
Tutos somnos capiat.

Et quo sumus * plus ignavi,
Ope muni * nos majori.
Qui si palma * non pollemus militum,
Vice quadam * assistamus peditum,

Si victorum * non meremur bravium,
Evasisse * satis sit periculum.

Multa sunt, * magna sunt
in sanctis proelia,
Pauca vel * parva sunt,
quantum ad praemia;
Cujus haec * dona sunt,
regi sit gloria.

CI

In festo Innocentum.

In 1 Nocturno.

1. Ad coelestis
Ortum regis
Rex terrenus
Jus aufferri
Sibi timet
Principatus.

2. Inauditum
Stellae signum
Ubi narrant,
Civitatem
Atque regem
Magni turbant.

3. Hinc commotus
Rex iniquus
In infantes,
Ut infantum
Perdat unum,
Perdit plures.

4. Propter unum
Multi Christum
Sunt perempti,
Sed per unum
Omnes Christum
Coronati.

CII

In 2 Nocturno.

1. Rex tyrannos
Universos
  Supergressus
Et plus ipsis
Quoque feris
  Inhumanus

2. In infantes
Ut in hostes
  Castra cogit
Et in nullos
Nisi suos
  Arma vertit.

3. Furor irae
Nec ferinae
  Comparandus
Perdit eos,
Quos arreptos
  Fovet lupus.

4. Ad mandatum
Regis datum
  Generale
Nec ipsius
Infans tutus
  Est a caede.

5. Ad Augustum
Hoc delatum
Risum movit,
Et rex mitis
De immitti
Digne lusit :

6. Malum, inquit,
Est Herodis
Esse natum,
Prodest magis
Talis regis
Esse porcum.

CIII

In 3 Nocturno

1. Ad lactantum
Sinus matrum
  Ut ad castra
In lactantes
Ruit omnes
  Plebs armata.

2. Ad micantem
Infans ensem
  Laetabundus
Irruenti
Ridet hosti
  Perimendus.

3. Quid est dictu
Vel auditu
  Tam stupendum,
A natura
Quid humana
  Tam remotum?

4. Quid, Herodes,
Metu langues
  Super Christo,
Non est meum,
Inquit, regnum
  De hoc mundo.

5. In aeternis,
Non caducis
  Iste regnat,
Non haec tollit
Neque cupit,
  Qui dat illa.

CIV

Ad Laudes.

1. Est in Rama
Vox adita
  Rachel flentis,
Super natos
Interfectos
  Ejulantis.

2. Lacerata
Jacent membra
  Parvulorum
Et tam lacte
Quam cruore
  Rigant humum.

3. His incumbens
Orba parens
  Ejulando
Recollecta
Fovet frusta
  Sinu pio.

4. Tundit pectus,
Scindit sinus
  Caecus furor,
Quem maternus
Et humanus
  Facit amor.

5. Interfecti
Sunt inviti,
  Sed pro vita

Meritorum
Fuit nullum,
  Mercės multa.

6. Merces ipsa
Fuit vita,
  Quam et ipsi
Moriendo
Non loquendo
  Sunt confessi.

CV

De sancto Dionysio.

Hymnus prior.

1. Ave praesul, laus praesulum,
Ave martyr, laus martyrum,
Philosophorum maxime,
Galliarum apostole.

2. Per te Gallorum populum
Insolentem, indomitum
Virtus superna domuit
Hisque jugum imposuit.

3. Tu vero, tu miraculis
Hos convertens ab idolis
Abstulisti diabolo,
Quos mancipasti Domino.

4. Ora, pater, pro omnibus
Dionysi fidelibus,
Sed pro regno praecipue,
Quod acquisisti sanguine.

5. Laus patri sit ingenito,
Laus ejus unigenito,
Paraclito par gloria
Super tam grata victima.

CVI

Hymnus alter.

1. O vere Christi militem,
Deo dignum antistitem,
Cujus dum agis proelia,
Factus es ejus hostia.

2. Ipsi te sacrificium
Obtulisti gratissimum,
Qui pro se cunctis unicam
Obtulit patri victimam.

3. Nec tanti sacrificii
Missae desunt discipuli,
Cum quibus sacras hostias
Tractare consueveras.

4. Jus amittit mortalitas,
Dum caput tuum bajulas,
Caput recisum gladio,
Ut offeras hoc Domino.

5. Laus patri sit ingenito,
Laus ejus unigenito,
Paraclito par gloria
Super tam grata victima.

CVII

De sancto Aigulpho.

1\. Aigulphi martyris * sunt natalitia,
Stella cum oritur, * in coeli rutila
De terris evolat, * sidus ad sidera,
Soli perpetuo * sedens in dextera,

2\. Dextram martyribus * dignum est cedere,
Quam ipsi proprio * merentur sanguine,
Qui in palatio * terrenae curiae,
Hi regi primi sunt, * quos ornant purpurae.

3\. Triumphat duplici * victor martyrio:
Vita monastica * primum, post gladio,
Christi vestigia * secutus plurimum,
Passus a filiis * consummat praemium,

4\. Sed quod delinquitur * a falsis monachis
Devoti redimunt * ejusdem ordinis,
Privigni super hoc * testis est oppidum
Beati corporis * talento praeditum.

CVIII

De sancto Eustachio

Hymnus prior.

1. Exaltent curiae * coelestis milites,
Ipsis qui cupiunt * adjungi, comites,
Quorum collegio * martyr egregius
Adjunctus hodie * fulget Eustachius.

2. Magister militum * in terris praeerat,
Nunc gemma martyrum * in coelis emicat,
Alter Cornelius * piis operibus
Gentilis meruit * addi fidelibus.

3. Venantem Dominus * illum venatus est,
Credens in Dominum * mox baptizatus est,
Conjux cum conjuge * duoque liberi
Sacri participes * facti sunt lavacri.

4. Percepta lavacri * confestim gratia
Summos examinat * summa miseria,
Ut aurum offerant * Deo se purius,
Quod mortem praevenit, * fit morte gravius.

5. Cujus cor saxeum * horum temptatio,
Quod pectus ferreum * non mollit passio,
Quem non continuo * movet ad lacrimas
Tam miserabilis * horum calamitas ?

6. Sed quod ad lacrimas * compellet pietas,
Aeternae relevet * palmae felicitas,
Et inter lacrimas, * inter suspiria,
Ad quae sic ventum est, * occurrent gaudia.

7. Laus jugis Domino * perpesque gloria,
Cujus sunt martyres * invicti gratia,
Ad quem dum capiunt * per mortem [tendere],
Post mortem inchoant * perenne vivere.

CIX

Hymnus alter.

1. Temptavit Satanas * Job multo levius,
Quam Christi martyrem, * si scriptis credimus,
Cum rebus liberos * Job quidem perdidit,
Sed ad solatium * uxorem habuit.

2. Job inter cognitos * et caros perstitit,
Quibus miseriam * levare potuit,
Hic rebus omnibus * privatus exsulat
Et trahens conjugem * parvulos bajulat.

3. Pro naulo conjugem * nauta retinuit,
Arreptis parvulis * vir moerens abiit,
Doloris cumulo, * quod solum deerat,
Captis et parvulis * temptator aggregat.

4. Nam ei paulo post * hunc lupus abstulit
Leoque alterum, * praesens id prospicit,
Rebus et conjuge * natisque perditis
Magister militum * servit rusticolis.

5. Job sua Dominus * duplo restituit
Et dies amplius * jucundos praebuit,
Sunt huic redditi * conjux et liberi,
Palmae martyrii * ne desint socii.

6. O vere Domino * grata societas,
O ineffabilis * divina pietas,
Cum viro conjugem * simul ac liberos
Fides [et] passio * misit ad superos.

7. Laus jugis Domino * perpesque gloria,
Cujus sunt martyres * invicti gratia,
Ad quem dum cupiunt * per mortem [tendere],
Post mortem incohant * perenne vivere.

CX

In festis Confessorum.

In 1 Nocturno.

1. Justorum memoriam, * dignam laudibus,
Psalmis, hymnis, canticis * spiritalibus
Mater ovans * celebrat ecclesia,
Quorum fidens * postulat suffragia.
Summe pater, * tibi grates * et solemnes hostiae
De collatis * tuae donis * exsolvuntur gratiae,
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

2. Horum bona dona sunt * tuae gratiae,
Horum laudes hymni sunt * tuae gloriae,
Laudat, quisque * laudat hos veraciter,
Te in ipsis, * ipsos in te pariter.
Horum festa * celebrandi * summa non est alia,
Nisi quaedam * recitandi * tua beneficia,
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

3. In sanctis mirabili * Deo gloria,
Ex quo, per quem, in quo sunt, * quae sunt, omnia,
Cujus agit, * quidquid, vult, potentia
Optimeque * disponit prudentia.
Quem et velle * geri bene * disponique singula,
Dubitari * non permittit * ejus summa bonitas ;
Per quem sunt, * justi quicunque sunt
Per quem sunt, * beati quique sunt.

CXI

In 2 Nocturno.

1. Tu, quae carnem edomet, * abstinentiam,
Tu, quae carnem decoret, * continentiam,
Tu velle, quod bonum est, * his ingeris,
Ac ipsum perficere * tu tribuis.
Instrumenta * sunt hi tua, * per quos mira peragis
Et humana * moves corda * signis et prodigiis,
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

2. Obsessos daemonibus * ab his liberant,
Audacter languoribus * cunctis imperant,
Verbo paralyticis * subveniunt,
Leprae fert oratio * remedium.
Caecis visum, * claudis gressum, * vitam reddunt mortuis,
Quidquid petunt, * per te possunt, * qui, quae jubes, perficis;
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

3. In sanctis mirabili * Deo gloria
Ex quo, per quem, in quo sunt, * quae sunt, omnia,
Cujus agit, * quidquid vult, potentia,
Optimeque * disponit prudentia.
Quem et velle * geri bene * disponique singula,
Dubitari * non permittit * ejus summa bonitas;
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

CXII

In 3 Nocturno.

1. Praesens vita fuit his * sexta feria,
Qua Christo compassi sunt * abstinentia,
Sicut ipse * tolli crucem praecipit
Et se Paulus * crucifixum asserit.
Post hanc quies * animarum * subit tamquam sabbatum,
Stolam tandem * ab octava * reddes illis corporum.
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

2. Persequentis gladius * illis defuit,
Sed paratus animus * huic adfuit,
Si non tulit * corpus ictus gladii,
Palmam tamen * habet mens martyrii,
Cesset lictor, * cessent cuncta * tormentorum genera,
Tu, qui cordis * es inspector, * ad hoc refers praemia.
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

3. In sanctis mirabili * Deo gloria,
Ex quo, per quem, in quo sunt, * quae sunt, omnia ;
Cujus agit, * quidquid vult, potentia,
Optimeque * disponit prudentia.
Quem et velle * geri bene * disponique singula,
Dubitari * non permittit * ejus summa bonitas ;
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

CXIII

Ad Laudes.

1. Justorum exscquiae * laudes exigunt,
Impiorum funera * luctus ingerunt,
Hos ad vitam * mors aeternam evehit,
Illos duplex * mors in morte conterit.
Gravis ista * sanctis vita * carcer est et vincula,
His contritis * ad te fugit * erepta hinc anima;
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

2. Ad te cum pervenerit * felix anima,
Quis narrare sufficit * ejus gaudia?
Quae majestas * illa sit, quam conspicit,
Quae circumstans * curia, quis dixerit?
Nemo miser * illam potest * gloriam conspicere,
Qua laetaris * cum electis, * ad quam et nos pertrahe;
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

3. In sanctis mirabili * Deo gloria,
Ex quo, per quem, in quo sunt, * quae sunt, omnia,
Cujus agit, * quidquid vult, potentia,
Optimeque * disponit prudentia.
Quem et velle * geri bene * disponique singula,
Dubitari * non permittit * ejus summa bonitas;
Per quem sunt, * justi quicunque sunt,
Per quem sunt, * beati quique sunt.

CXIV

IN NATIVITATE S. JOHANNIS BAPTISTAE.

In 1 Nocturno.

1. Johannis nativitas,
Praecursoris Domini,
Ad promissa gaudia
Corda monet populi.

2. Quantus iste fuerit,
Tradunt evangelia,
Et quam sanctis ceteris
Praesit excellentia.

3. Aliis tricesimum
Fructum afferentibus
Sive sexagesimum
Ditat hunc centesimus.

4. Deo patri gloria,
Par sit honor filio,
Cum patre spiritui
Compar veneratio.

CXV

In 2 Nocturno.

1. Hujus ortum nuntians
Missus est archangelus
Idem, qui dominici
Postmodum fit nuntius.

2. Promissis incredulus
Pater mox obmutuit,
Donec natus parvulus
Usum linguae reddidit.

3. Domini praesentiam
Clausus adhuc utero,
Quam voce non poterat,
Prophetavit gaudio.

4. Deo patri gloria,
Par sit honor filio,
Cum patre spiritui
Compar veneratio.

CXVI

In 3 Nocturno.

1. Senex hunc et sterilis,
Illum virgo genuit,
In utroque gratia
Naturae praevaluit.

2. Duram eremiticae
Vitam solitudinis
Aetas ejus tenera
Praemonstravit posteris.

3. Tantus hinc enituit
Tam verbo quam opere,
Ut eum praesumeret
Mundus Christum credere.

4. Quem prophetis omnibus
Christus ipse praetulit,
Quo majorem neminem
Surrexisse docuit.

5. Deo patri gloria,
Par sit honor filio,
Cum patre spiritui
Compar veneratio.

CXVII

Ad Laudes.

1. Ad parandam Domino
Viam hic praemissus est,
Solus, ut et Dominum
Baptizaret, dignus est.

2. Hujus testimonio
Veritas enituit,
Hujus se praeconio
Commendari voluit.

3. Virginis et martyris
Stola pollens gemina,
Agni, quem exhibuit,
Institit vestigia.

4. Deo patri gloria,
Par sit honor filio,
Cum patre spiritui
Compar veneratio.

CXVIII

De sancto Benedicto.

1. Victimam nostrae tibi, Christe, laudis
Sanctitas ejus faciat placentem,
Cujus hanc lucem facit esse lucis
Lucida vita.

2. Ipse pro nobis tibi supplicando
Impetret nobis veniam reatus,
Cujus ad laudem modulamur hymnum
Carminis hujus.

3. Victor antiqui memorandus hostis
Nos sui fecit memores merendo,
Per preces ejus memor esto nostri,
Christe benigne.

3. Voce praesaga Benedictus ante
Postmodum nomen cumulavit ex te,
Gratiam tandem meritumque jungunt
Gaudia palmae.

5. Qualis in vita fuerit vir iste,
Quantus in signis, quibus et per illum
Terra doctrinis repleatur omnis,
Novimus omnes.

6. Terra delictis maledicta nostris
Proferens spinas tribulosque nobis
Uberes fructus benedicta reddit
Per Benedictum.

7. Ad quod et quendam quasi spiritalem
Sarculum mira fabricavit arte,
Regulam vitae speculumque verae
Philosophiae.

8. Gloriam summo super his parenti,
Gloriam verbo super his paterno,
Gloriam sanctum tibi neuma cuncti
Dent super istis.

CXIX

De sancto Gilda.

1. Lucerna posita * super candelabrum
Gildae prudentia * vitaque speculum
Verbis nos instruunt, * exemplis provocant,
Errantes corrigunt, * torpentes excitant.

2. Lucernam nobis hanc * lux vera contulit,
Quam non sub modio * concludi pertulit,
Stellam hanc naufragis * sol verus posuit,
Per quam ad patriam * ducatum praebuit.

3. Hic indeficiens * est tamquam Hesperus
Extremis imminens * terrarum partibus,
Ubi Britanniam * cingens Oceanus
Immensis aridam * contundit fluctibus.

4. Has partes incolens * gens armis strenua,
Cum his inminerint * belli discrimina,
Pro signo bellico * Gildae clementia
Tuta per gladios * procedunt agmina.

5. Cujus est [Ruia] * usa suffragiis,
Fides intrepida * stat et in proeliis,
Super his gloria * simul et aliis
Divinae gratiae * sit beneficiis.

CXX

In festis Virginum.

In 1 Nocturno.

1. Sponsa Christi * tam virgo quam martyr est,
Cujus palma * celebris haec dies est;
Palma duplex * festum praesens germinat,
Virgo carnem, * martyr hostem superat;
Hinc igitur * psalmi resonent,
Lectiones * inde concrepent.

2. Haec in viris * duplex palma rarior
Eminet in * feminis uberior,
Ut quo sexus * harum est infirmior,
Sic ipsarum * virtus mirabilior,
Et ipsarum * tanto gratior
Fit hostia, * quanto purior.

3. Integra tam * spiritu quam corpore,
Holocaustum * verum fit ex virgine,
Ad incensum * hujus refer hostiae
Rufae typum * et tenellae vitulae;
Illic umbra * sed hic veritas,
Si res signis * bene conferas.

4. Quae cor Deo * per se consecraverat,
Per lictorem * nunc et corpus consecrat,
Consecratus * Deo primum animus
Hosti corpus * exponit intrepidus.
Ipsi decus, * ipsi gloria,
Qui tot fecit * mirabilia.

CXXI

In 2 Nocturno.

1. Cum in sanctis * Deus sit mirabilis,
Praeminet in * martyrum victoriis,
Sed cum dat [et] * feminis victoriam
Quis non cunctis * praeferat [hanc] gratiam,
Ut [quo] sexus * est fragilior,
Hoc sit virtus * mirabilior.

2. Exquisita * tormentorum genera
Feminarum * superat constantia,
Aut istarum * virtus est mirabilis,
Aut agonum * horum poena facilis;
Sed utrumque * geri melius
Disponente * Deo credimus.

3. Valida est * sicut mors dilectio
Nec istius * ignis est instinctio,
Aquae multae * non possunt exstinguere
Caritatis * flammam invictissimae,
Nec est unquam * cum hac debilis
Sexus quantum * cumque fragilis.

4. Quid barbati * dicturi sunt juvenes,
Delicatae * cum haec ferant virgines ?
Erubescat * ad haec sexus fortior,
Ubi tanta * sustinet infirmior.
Ipsi decus, * ipsi gloria
Qui tot fecit * mirabilia.

CXXII

In 3 Nocturno.

1. Quantum sponso * fidelis haec fuerit,
Tam ipsius * vita quam mors docuit,
Illa corpus * integrum custodiens,
Haec ipsius * holocaustum offerens;
Virgo sponsa, * virgo sponsus est,
Sponsa martyr, * sponsus martyr est,

2. Talem sponsum * talis sponsa decuit,
Quae secuta * sit, quocunque ierit,
Quos nec sacrae * carnis decor dividat,
Nec in morte * dispar amor pateat;
Subsequuntur * sponsum ceterae,
Haec incedit * juncto latere.

3. Et regina * sponsi tenens dexteram,
Subsequentem * turbam habet ceteram,
In vestitu * deaurato renitet
Et coronas * supradictas possidet;
Certe aurum * hoc est optimum,
Incorruptum * est et rutilum.

4. Sertum rosis * intextum et liliis
Sunt insigne * martyris et virginis,
In odorem * Christo suavissimum
Martyr rosam, * virgo profert lilium.
Indumenta * dant insignia,
Candens byssus, * rubra purpura.

5. Pulchri gressus * ejus sunt in calceis,
Quos et sponsus * collaudat in canticis,
Quis sit ejus * ornatus, praedictum est,
Quo sit ejus * progressus, dicendum est.
Ipsi decus, * ipsi gloria,
Qui tot fecit * mirabilia.

CXXIII

Ad Laudes.

1. Ut aurora * consurgens progreditur,
Quae celestis * sponsi thoro jungitur,
Hic ut sponsa * foederata fuerat,
Illic tamquam * uxor jam cohabitat;
    Hic in fide * facta foedera,
    Illic in re * perpes copula.

2. Paranymphos * illic habet angelos,
Quos custodes * habuit hic proprios,
Ad superna * thalamorum gaudia
Illam pompa * deducit angelica;
    Hinc obviam * virgo virgines,
    Illinc martyr * habet martyres.

3. Cum ad sponsum * sic deducta venerit
Et in ejus * complexu quieverit,
Qua fruatur * gloria, quis dixerit,
Quae mens tanta * gaudia conceperit?
    Ad haec certe * nemo sufficit,
    Nisi forte, * cum haec senserit.

4. Haec sunt illa, quae non vidit oculus
Nec humanis * capi possunt cordibus,
Quae se Deus * praebet diligentibus,
Ab aeternis * parata temporibus;
    Ipsi decus, * ipsi gloria,
    Qui tot fecit * mirabilia.

CXXIV

IN FESTIS SS. MULIERUM.

In 1 Nocturno.

1. Ab utroque * sexu plagam traximus,
Ab utroque * medelam suscepimus,
Virum Deus * induit in virgine,
Quo salventur * tam viri quam feminae;
  Orta salus * est ex femina,
  Unde culpa, * coepit gratia.

2. Quo post culpam * sexus hic abjectior,
Per naturam * fuerat inferior,
Hoc nimirum * divina clementia
Hunc majori * sublimavit gratia;
  Quod ab ejus * matre virgine
  Per singulos * gradus inspice.

3. Quis sanctarum * eam aemulantium
Numerare * possit choros virginum,
Post has esse * quis nescit innumeras
Sacrum votum * amplectentes viduas,
  Nec deesse * matrimonio,
  Quae flagrent hoc * desiderio.

4. Post has omnes * si scorta respiciam
Magdalenae * jungens Aegyptiacam,
Ubi culpa * prius abundaverat,
Cerno, quia * virtus post exuberat.
  Ipsi decus, * ipsi gloria,
  Qui tot facit * mirabilia.

CXXV

In 2 Nocturno.

1. Post honorem * singularem virginis,
Quae sic pollet, * ut sit Dei genitrix,
Qua virtute * vel honore praediti
Sint istius * gradus sexus singuli,
Multiplici * rerum specie
Sacrae docent * nos historiae.

2. Paradisi * primus Adam incola
Extra factus * fuit intus femina,
Ut et locus * ipse sit indicio,
Quam excellens * harum sit creatio,
Quae de costa * viri conditae,
Fortes essent * velut osseae.

3. Haec in multis * fortitudo irruit,
Cum virorum * virtus exaruerit,
In exemplo * perstat judex Debora
Et, quae stravit * Holofernem, vidua,
Solemnemque * missam merita
Septem fratrum * mater inclita.

4. Jephte nata * victoris in proprium
Patris dextram * animavit jugulum,
Mori magis * eligens quam gratiam
Voto pater * fraudet sibi praestitam.
Ipsi decus, * ipsi gloria,
Qui tot facit * mirabilia.

CXXVI

In 3 Nocturno.

1. Si cum viris * feminas contendere
De virtute * liceat constantiae,
Quis virorum * mentis fortitudine
Adaequari * possit Jephte filiae,
Quae ne voti * pater reus sit,
Se victimam * patri praebuit.

2. Quid fecisset * in agone martyrum,
Si negare * cogeretur Dominum,
Unde tanta * virginis constantia
Quadam pollet * spiritali gratia,
Ut solemnes * hymni virginum
Virgineum * colant exitum.

3. Multi viri * factis excellentibus
Liberarunt * fideles ab hostibus,
Hesther sola * liberando populum
Hinc festivum * meruit praeconium,
Ut scilicet, * quam emineat
Feminarum * virtus, pateat.

4. Quantum quippe * sexus hic est fragilis,
Eo virtus * ipsius mirabilis,
Majus laudis * exigit praeconium
In praecelsum * erigenda titulum.
Ipsi decus, * ipsi gloria,
Qui tot facit * mirabilia.

CXXVII

Ad Laudes.

1. Ut ad nostra * veniamus tempora,
Quae divina * superfudit gratia,
Quis in ista * feminas praecellere
Non valebit * ex multis colligere,
    Post Mariam * Annam intuens,
    Elisabeth * quoque contuens.

2. Christi pedes * capit unguens mulier,
Christum eum * fecit corporaliter,
Sacerdotis * et regis mysteria
Suscepisse * constant hunc a femina,
    Et qui eum * sexus peperit,
    Sacramenta * quoque tradidit.

3. Et sepulto * ferens hic aromata
Resurgentis * prius vidit gaudia,
Et ex culpa * vilis magis femina
In hac omnes * antecessit gratia,
    Ut pateat, * quanto gaudio
    Peccantium * sit conversio.

CXXVIII

DE S. MARIA MAGDALENA.

Hymnus prior.

1. Peccatricis * beatae solemnitas
Peccatores * maxime laetificat,
Post hanc nemo * desperet de venia,
Quantumcunque * praecedant flagitia,
Si lamenta * poenitentiae
Subsequentur * loco victimae.

2. Cor contritum * tribulatus spiritus
Holocaustis * gratius est omnibus,
Ibi quisque * mactat intus vitia,
Hic mactantur * foris animalia;
Ibi quisque * se sacrificat,
Hic aliud * pro se immolat.

3. Ibi rerum * est ipsarum veritas
Hic figurae * quaedam [adest] falsitas,
Ibi corpus * hic est umbra corporis,
Illud manet * cum haec evanuerit;
Hoc exhibens * felix meretrix
Res pro signis * ipsas obtulit.

4. Lacrimarum * pingue sacrificium,
Medullatum * holocaustum fletuum,
Multa brevi * consummarunt tempora
Impetrata statim indulgentia.
Ipsi decus * ipsi gloria,
Super ejus * tanta gratia.

CXXIX

Hymmus alter.

1. Poenitentum * severa correptio
Et eorum * longa satisfactio
Crebris carnem * edomant jejuniis
Asperisque * cruciant ciliciis,
Et ejectos * ab ecclesia
Cunfundit * erubescentia.

2. In hac nihil * actum est hoc ordine,
Mitiorem * sensit Deum homine,
Rex et judex * idem legem temperat
Nec attendit, * qui cor vere judicat,
Tam temporis * longitudinem
Quam doloris * magnitudinem.

3. Pharisaeus * Domini clementiam,
Quam ignorat, * credit ignorantiam,
Et intra se * dum super hanc murmurat,
Judex cordis * murmur hoc dijudicat,
Ut collatis * multis dixerit,
Cur veniam * haec meruerit.

4. Quam multorum * peccatorum vinculis
Quasi septem * absolvens daemoniis,
Quanti fides, * quanti sit dilectio,
Tam felici * docuit indicio.
Ipsi decus * ipsi gloria,
Super ejus * tanta gratia.

CXXX

In festo omnium Sanctorum.

In 1 Nocturno.

1. Sanctorum solemnitas * omnium,
Festiva jucunditas * hominum
Fidelem laetificat * populum.

2. Quod minus impendimus * singulis,
Quas per annum colimus * feriis,
In his laudum solvimus * hostiis.

3. Sanctorum laus omnium, * Domine,
At te tamquam talium * capite
Laudis sit exordium * debitae.

4. Tuae sunt potentiae * subdita,
Tuae sapientiae * pervia,
Tuae cuncta gratiae * gloria.

CXXXI

In 2 Nocturno.

1. Porta coeli, siderum * janua,
Tam matrum quam virginum * gloria,
Votis esto supplicum * pervia.

2. Supernorum milites * agminum,
Sic depellant acies * daemonum,
Ut sit jugis requies * hominum.

3. Quos nostrae custodiae * deputas,
Horum nos juvamine * protegas,
Ut ad te nos, Domine, * dirigas.

4. Tuae sunt potentiae * subdita,
Tuae sapientiae * pervia,
Tuae cuncta gratiae * gloria.

CXXXII

In 3 Nocturno.

1. Communis celebritas * om.......
Justorum memorias * veterum
Natalibus aggregat * martyrum.

2. Horum est parietum * medius
Tam vatum quam martyrum * maximus,
Laude Christi plurimum * praeditus.

3. Post hunc sunt ecclesiae * principes,
Post hos tui, Domine, * milites,
Post utrosque denique * pedites.

4. His chorus adjungitur * virginum
Et rosis intexitur * lilium,
Flos insignit croceus * medium.

5. Trina florum talium * specie
Sertum odoriferum, * Domine,
In te nitet omnium * capite.

6. Tuae sunt potentiae * subdita,
Tuae sapientiae * pervia,
Tuae cuncta gratiae * gloria.

CXXXIII

Ad Laudes.

1. Eversis altariis * daemonum
Pantheon est idolis * erutum,
Sanctorum memoriis * deditum.

2. Huc plebs annis singulis * confluens
Et cum clero pontifex * veniens
Est [in] laudum hostiis * vehemens.

3. Quod illic a capite * coeptum est,
Ad membra rectissime * tractum est,
Sicut et hic hodie * patens est.

4. Quorum simul colimus * gaudium
Laudantes quo omnibus * Dominum,
Adjuvemur precibus * omnium.

5. Haec tuae militia * curiae
Per sua suffragia; * Domine,
Sub tuo nos protegat * nomine.

6. Tuae sunt potentiae * subdita,
Tuae sapientiae * pervia,
Tuae cuncta gratiae * gloria.

NOTAE

AD LIBELLUM TERTIUM.

PRAEFATIO. B, fol. 91 b. — **Adnotanda** : 1) Prov. 10, 7. — 2) Eccli. 44, 1. — 3) populis B. — 4) Exod. 17, 11. — 5) Hoc loco verbum deest; *virtute* supplevit Cousin, *parvitate* supplendum putat Pitra. — De ordine paucis moneam, quem in distribuendis hujus libelli hymnis servavi. Ordo Codicis Bruxellensis, si quis est, ita cum *Communi Sanctorum*, quod vocant, *Proprium* permiscet, ut fere post Commune eos inserat hymnos, qui quibusdam hujus classis sanctis proprii sunt. Hunc ordinem et ipse servans, eos suis locis hymnos inserui, qui Codici Bruxellensi desunt, hymnos Innocentum post Commune martyrum posui, ultimum locum hymnis pro festivitate sanctorum omnium conscriptis dedi. Monendum praeterea, quod Abaelardus non de omni sancto, quem propriis hymnis celebrat, quatuor hymnos concripsisse videtur, atque id cum de aliis tum de iis sanctis obtinet, quorum hymni non ad usum Paraclitensem primitus sed aliorum sive ecclesiarum sive monasteriorum scripti apparent, ut sunt hymni S. Aigulphi, S. Gildae, aliorum, ita ut, quae deerant in Froprio, complenda essent ex Communi.

LXXVII. B, fol. 92 a; C, fol 129 b. — **Lectiones variantes** : 1, 4. Nata p. B; erronea sunt quae Pitra in notula legenda proponit. — 2, 1. Per quem,B. — 2, 2, Per quem, B. — 2, 3, supplican tium, B. — 3, 4, justum, B. — **Adnotanda** : Metrum hymnorum de Beata idem est ac hymni Ave maris stella, ita tamen ut non nisi penultimae certus accentus inhaereat. Divisi hunc hymnum qui cum sequente non nisi unus est. Quod ut facerem, tum ceterorum hymnorum analogia tum ipsa hujus carminis prolixitas suadebant.

LXXVIII. B, fol. 92 a; C, fol. 130 a. — **Lectiones variantes** :

2, 2, *est* deest, B. — 4, 1. Cni, B, falsam literam primam adpinxit rubricator; legit Pitra et edidit *cui*.

Adnotanda : 2, 1 sq. Hinc Anselmus Cantuariensis « Scala tu coelestis, per quam descendit ipse Deus » (Opp. Parisiis 1721, p. 308) et auctor incertus, cujus inter Augustini sermones intermixti sunt : « Facta est Maria scala coelestis, quia **per ipsam Deus descendit** ad terras, ut **per ipsam homines ascendere** mererentur ad coelos; ipsis enim licebit ascendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per virginem Mariam descendisse » (Opp. Venet 1753, V, 224). — 3, 2 sq. Maria porta eaque clausa dicitur, qua Verbum Dei ad nos descendit : « Fit porta Christi pervia, referta plena gratia »; eadem nobis porta et aditus est ad Deum : « Felix coeli porta ». Sed haec ita omnium in ore sunt, ut diutius illis immorari non debeamus.

LXXIX. B, fol. 92 b; C, fol. 130 a. — **Lectiones variantes** : 2, 3, Quamvis, B, quod omni sensu caret. — 3, 1. Aure quippe matris B; falsam literam adpinxit rubricator. Putat Pitra in nota, legendum esse *ore;* quid legendum, Cod. Calmont. edocemur. — 3, 2, postulabis, B.

Adnotanda : 3, 1. Jure matris; haec in mentem revocant verba illa:

Ora patrem, *jube natum*
Nos ut ducat ad hunc statum
Plenum pace, gloria;

A quibus non longe absunt, quae Hermannus Contractus in celebri illa sequentia *Ave praeclara maris stella* canit : « Audi nos, nam te filius nihil negans honorat ». Sed ut ipsius Abaelardi sensa depromam, Sermone XXVI, qui est de festo assumptae in coelos deiparae, postquam nuptiarum in Cana Galilaeae primique servatoris miraculi mentionem ingessit, pergit in hunc modum : « Et quidem si diligenter attendimus non tam beneficium eam videbimus rogasse, quam defectum vini nuntiasse. Cum enim dixerit, quia defecisset vinum, nequaquam rogasse legitur, ut hoc ipse praeberet, sed hoc solum sufficere arbitrata est ad impetrandum, quod volebat, si nuntiaret, quod deerat, nec jam apud filium precem suam esse necessariam, cum videtur suam insinuasse voluntatem. » — 6, 3 sq. Idem plane Abaelardus in sermone modo laudato : « Rogantem pro

nobis matrem filius non exaudire non potuit nec ulla eam repulsa offendere, qui honorem parentum maxime commendat ».

LXXX. C, fol 130 b. — **Lectiones variantes** : 2, 4, vives, C. — 4, 2. Nata es, C. — 4, 3, sis in te porta, C.

Adnotanda : Hymnus cum praecedentibus festo Conceptionis B. M. V. tribuitur in Diurnali Paraclitensi, atque hoc propterea, quia illud festum primum est omnium festorum Virginis quotannis (de anno ecclesiastico dico) recurrentium. Eundem una cum tribus (seu duobus) praecedentibus reperi in Brev. ms. S. Vitoni saec. XIV, in bibliotheca Virdunensi (Codex 116) asservato. — 2, 1. Haec ex Antiphona *Salve regina* (*mater*) *misericordiae*, Hermanno Contracto tributa. — 3, 2 sqq. De hoc loco vide, quae supra ad hymnum ex codice Bremensi attulimus. Sed et ipse hymni nostri auctor in sermone de Assumptione B. M. V. idem omnino atque iisdem ex parte verbis profert : » Si ergo sanctorum oratio tantum valet ad placandam superni judicis iram, quid de oratione matris sperandum est, de qua tanto amplius peccatoribus est confidendum, et **quodam debito** in hoc ipsam teneri, quanto magis apud omnes constat hujus gloriae singularem honorem, ut mater Dei esset, non nisi pro peccatoribus adeptam fuisse » ?

LXXXI. 6 fol. 186 b. — **Lectiones variantes** : 1, 3, id quod vivit, C. — 2, 1, hic deorsum... agunt, C. — 4, 2. Cujus regni, C. — 4, 3. Et adventum C.

Adnotanda : 1, 3. Id, quo vivit, scl. Deum perdit, qui non laudando Deum prout debet peccat. *In ipso enim*, ut ait Apostolus, *et vivimus et movemur et sumus* (Act. 17, 28). Unde Augustinus de Domino loquens ait : « Nec ille potuit mori de suo, nec nos vivere de nostro ». Serm. 137, de verbis Evang. (Joh. 5, 26) n. 9. Atque hoc cum de vita naturali tum de supernaturali dicendum, sine qua ista mors potius dicenda quam vita. Unde de impiis Augustinus : « Neque enim vivunt, ait, sed vivere sibi videntur », et post pauca : « Et qui corrigi nolunt, tamquam vivant sed non vivunt ». Enarr. in Ps. 57, n. 20.

LXXXII. C, fol. 186 b. — **Adnotanda** : 1, 1. Drachma decima, de qua Lucas, 15, 8, anima peccatrix intelligi solet, et quidem ut scholastico loquendi modo utar, aut *in individuo* aut *in genere* ; aut enim de singulis animabus per poenitentiam a peccati

ad gratiae statum revertentibus accipitur, aut de omnibus seu de natura humana a filio Dei quaesita, inventa, redempta. Atque hoc altero modo Augustinus parabolam exponit Enarr. in Ps. 103, Serm. 4, n. 2; Enarr. in Ps. 138, n. 14. Quem alterum locum prae oculis habuit Hermannus Contractus in sequentia de sancta cruce, cum ait: « Dei patris nate, cujus est imago regis et superscriptio, **quae moneta nos**, drachma, quam invenisti ». Jungit hanc ideam (cfr. 3, 1 sqq.) Abaelardus cum altera, novem ordines angelorum novem drachmis, lapsos spiritus decimae comparans, cui amissae ut aliam inventam substitueret animam humanam quaesivit salvator. Unde haec hauserit, ipse in libro *Sic et Non* c. 49 indicat, ubi ait: « Gregorius in homilia 34. de angelis: « Decem vero drachmas habuit mulier, quia novem sunt ordines angelorum. Sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus ». Unde in vetusto hymno apud Monium I, 439 legimus:

> Nos et ipsi, massa terrae, sorte sancta talium
> Adjuvante rege summo *tot* locandi credimur,
> *Quot* malignos decidentes aula coeli depulit.

Alio tamen in loco aliam opinionem praefert idem Gregorius; ita enim hom. in ev. 2, 34, 11: « Superna illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam **tantum** credimus humanum genus ascendere, **quantos** illic contigit electos angelos **remansisse**, sicut scriptum est: *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum* (Deus, 32, 8); **tanta** illuc ascensura creditur multitudo hominum, **quanta** multitudo **remansit** angelorum ». Opinionem dixi, ne figmentum dicerem, cum omni fundamento careat. — 2, 1. Novem ordines angelorum, quo pacto inventi sint, idem Gregorius in eadem homilia optime exponit: « Novem angelorum ordines dicimus, quia videlicet esse testante sacro eloquio scimus: Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim. Esse namque Angelos et Archangelos pene omnes sacri eloquii paginae testantur; Cherubim vero atque Seraphim saepe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus apostolus ad Ephesios (1, 2) enumerat dicens: *Supra omnem Principatum et Potestatem et Virtutem et Dominationem.* Qui rursus ad Co-

lossenses (1, 16) scribens ait : « *Sive Throni sive Potestates sive Principatus sive Dominationes*. Dum ergo illis quatuor, quae ad Ephesios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines ; quibus dum Angeli et Archangeli, Cherubim atque Seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur ».Qui locus, qua via quaque ratione, sed et quo jure ad novem ordines statuendos ventum sit, graphice pingit. De horum nominibus atque officiis confer praeter alia multa Mone 1, 438 ; Analecta hymnica IX, 276 sqq.

LXXXIII. — C, fol. 188 b. — **Lectiones variantes** : 2, 5, persolvantur, C. — 3, 2. Omni nostri sive Christi, C; locus certe corruptus. Cur Dei nostri legerim, statim in Adnotandis ad hunc versum patebit; forte etiam *Domni* legendum ut *one* quis scripserit pro *dne* (domini), quae vox rhytmo id exigente corripienda foret.

Adnotanda : 1, 2, Sabaoth (צְבָאוֹת) quippe *Dominum exercituum* interpretantur. — 2, 1 Haec ex Apocalypsi 12, 7 sqq. desumpta sunt. — 3, 1 sqq. Hoc canticum victricium sub duce Michaele angelorum ex eodem capite Apocalypsis versu 10. depromptum : *Et audivi vocem magnam in coelo dicentem :* **Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum,** *qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.*

LXXXIV. — C, fol. 188 b. — **Lectiones variantes**: 2, 3, deferri C. — **Adnotanda**: 1, 1. Quis ut Deus, nominis *Michael* ad literam versio. Cetera, quae in hymno occurrunt, tam plana omnia tamque operta sunt, ut ulla seu explicatione seu illustratione non indigeant.

LXXXV. — B, fol. 92 b ; C, fol. 207 b. — **Lectiones variantes**: 2, 1. Alii signiferi, B. — 4, 3. Pariter patri, B; ordinem invertit Pitra et recte quidem sed nulla adjecta nota.

Adnotanda : Hymni a LXXV. ad XCII. ad normam metri quod subjicimus, confecti sunt. Ter tamen a metri lege recessit auctor, bis in priore, semel in altera versuum parte.

⊥́ – ⊥́ – ⊥ | ⊥́ – ⊥́ – ⊥ *a*
⊥́ – ⊥́ – ⊥ | ⊥́ – ⊥́ – ⊥ *a*
⊥́ – ⊥́ – ⊥ | ⊥́ – ⊥́ – ⊥ *a*

2, 1 sqq. Tres hoc loco ordines hymnographus in Christiano exercitu distinguit, signiferos, milites, pedites; apostolos videlicet, martyres, confessores. Simili modo ipse Ambrosius martyres milites, imo duces nominat (Biraghi, inni sinceri, p. 103):

Ecclesiarum principes,
Belli triumphales duces,
Cœlestis aulae milites
Et vera mundi lumina.

Quod vero Abaelardus milites suos peditibus opponat, aperte indicat, se militis vocem eo sensu intelligere, quo suo tempore communiter adhibebatur. *Miles* enim medio aevo equitem, virum dico nobilem atque ordinis equestris significabat. Unde et *signiferi* simili modo accipiendi sunt; eos scilicet Abaelardus nobiles viros insinuat, quibus usus proprii vexilli concedebatur, quique vexilliferi, germanice *Bannerherren* dicebantur. Unde sub Christo principe (4, 2), sicut in omni exercitu istius temporis videbat, vexilliferos apostolos, equites martyres, pedites vero confessores distinguit.

LXXXVI. B, fol. 92 b, C, fol. 207 b. — **Lectiones variantes**: 2, 3, prodigis, B. — **Adnotanda** : 2, 1. Haec ad Psalmi (75, 2) verba alludunt : « *Notus in Judaea Deus, in Israël magnum nomen ejus.*— » 2, 3. Cfr. Ps. 18, 5 et quae in hunc locum scripturae adnotavit Augustinus : « Si ergo apostoli sunt, quorum in omnibus loquelis vox audita est, ipsi sunt, de quibus dictum est, in omnem terram exiit sermo eorum ; quia etsi assumpti hinc sunt, antequam ecclesia impleret orbem terrarum, tamen verba eorum pervenerunt usque ad terminos orbis terrae ». Enarr. in Ps. 88 serm. 1. n. 3.— 3, 1 Cum his quae hoc loco de omnibus apostolis auctor noster tradit, conferenda sunt, quae Sermone XXIII. de sanctis Petro et Paulo dicit: « Unde factum est, ut haec civitas, a duobus fratribus Remo videlicet et Romulo prius aedificata, multo felicius a majoribus fratribus Petro et Paulo sit postmodum in Christo fundata. His duobus tota distributa est gratia, quae ad totius mundi effusionem sufficeret, cum Petrus in miraculis, Paulus emineret in verbis. Quae videlicet duo ipse Paulus distinguens ait : *Judaei signa petunt et Graeci sapientiam quaerunt* (I Cor. 1, 22).

LXXXVII. B fol. 92 b; C fol. 209 a. — **Lectiones variantes** : 1, 2. Celsas modo, B. — 2, 1. Sires, B; falsam literam adpingendo erravit rubricator. — 2, 3, subigi, C.

Adnotanda: 2, 1 sqq. Circumlocutio ista sunt verborum apostoli (1 Cor, 1, 26) : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sed stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* De quibus verbis disserens Augustinus : « Elegit ergo Dominus postea et oratores, sed illi superbirent, si non prius eligeret piscatores; elegit divites, sed dicerent, merito divitiarum suarum se electos esse, nisi primo elegisset pauperes; elegit imperatores postea, sed melius est, ut Romam cum venerit imperator deposito diademate ploret ad memoriam piscatoris quam ut piscator ploret ad memoriam imperatoris. Infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat fortia ». Enarr. in Ps. 65, n. 4.

LXXXVIII. B, fol. 92 b ; C, fol. 209 a. — **Lectiones variantes** : 2, 3, *agit* deest, B ; suppleverat Pitra *valet*. — **Adnotanta** : 1, 1 sqq. Vide, quae modo ex Paulo et Augustino attulimus ; cui addatur illud Pauli (1 Cor. 2, 4 sq) : *Et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis... ut fides vestra non sit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis sed in virtute Dei.* — 3, 1 sqq. Ethnicorum seu philosophorum nomina seu regum liturgicis hymnis inserentes non paucos medii aevi hymnographos reperimus. Ut unum tantum exemplum afferam, celebre illud ac lugubre carmen de ultimo judicio : *Audi tellus, audi magni maris limbus* in Graduali manuscripto Capituli Cranenburgensis anno 1340 exarato haec habet :

Ubi Plato, ubi Porphyrius,
Ubi Tullius et Virgilius?
Ubi Thales, ubi Empedocles
Aut egregius Aristoteles ?

Haec, etsi in antiquiore ipsius carminis forma, quam videas apud Paulin Blanc in libro (Prose de Montpellier ou chant du dernier jour, Paris, 1863) non reperiantur, non desunt tamen similia v. g.

Quem Hebraeus Abaddon,
Graecus Appollyon,
Exterminantem dicit Latinus.

Haec inducta in morem videntur carminibus, quae scholarium vel vagantium vocamus, et in quibus mirum quantum homines istius aetatis delectabantur.

LXXXIX. B, fol. 93 a. — **Lectiones variantes**: 1, 1. Piscatoris modo B; cui addit Pitra notulam: « Cl. v. Cousin edidit Piscatoria contra auctoritatem codicis et rhythmi rationem »; quarum assertionum prior quidem vera, falsa est altera. Rhythmus enim emendationem istam vel similem omnino suadet. — 2, 3, rybes, B; hoc codicis mendum hoc loco omisissem forte, nisi hanc ad locum animadversionem edidisset Pitra: « Cod. clare habet *rubeo*, quamquam cl. v. Cousin scripsit, ibidem legi *rube.* »

Adnotanda: 1, 1. « Infirma mundi (haec post Paulum Augustinus) elegit Deus, ut confunderet fortia. Et non de oratore piscatorem, sed de piscatore lucratus est oratorem, de piscatore lucratus est senatorem, de piscatore lucratus est imperatorem ». Enar. in Ps. 36. serm. 2. n. 14. Neque aliter Sermone 43 de verbis Isaiae (c. 7, 9) n. 6. postquam eadem Pauli verba adhibuit, ita pergit : « Si enim eligeret Christus primitus oratorem, diceret orator : Eloquentiae meae merito electus sum. Si eligeret senatorem, diceret senator : Dignitatis meae merito electus sum. Postremo, si prius eligeret imperatorem, diceret imperator : Potestatis meae merito electus sum. Quiescant et differantur isti, paululum quiescant; non omittantur, non contemnantur sed aliquantulum differantur, qui possunt gloriari de semetipsis. Da mihi, inquit, illum piscatorem, da mihi idiotam, da mihi imperitum, da mihi eum, cum quo non dignatur loqui senator nec quando emit piscem, ipsum, inquit, da. Hunc si implevero, manifestum erit, quod ego facio... Prius veniat piscator, per ipsum melius adducitur imperator ». — 2, 1. *Non impar Paulus*; haec ex Paulini Aquilegiensis hymno *Felix per omnes* 5, 1. Analecta hymnica II, 53. — 2, 3. Cfr. quae scribit Abaelardus in sermone XXV : « De praerogativa autem virginalis palmae

ipsius illud est Ambrosii in primam ad Corinthios. Non diceret: Bonum est innuptis, ut sint sicut et ego, nisi esset integer corpore; nec diceret: Omnes homines volebam esse sicut meipsum. Si enim habuit uxorem et hoc dixit, virgines esse noluit. Sed absit ».

XC. B, fol. 93 a; C, fol. 143 a. — **Lectiones variantes** : 1, 3, custodias, C. — 3, 1. Forte clavier, B, quae Pitra sequitur, licet, quae habent sensum, non praébeant. Prote (πρῶτε) habet Cod. Calmont. — 3, 3, ducit, C.

Adnotanda : 1, 1 « Beati Petri, apostolorum principis, solemnitas tanto celebrius ab ecclesia veneranda est, quanto ipsi a Domino amplior principatus in ecclesia concessus est ». Abaelardus serm. 23, qui est de sancto Petro. — 2, 2 sq. Cfr. Luc. 5, 10. — 3, 1. **Prote** claviger. « Quamvis enim generaliter dictum sit omnibus apostolis : *Quaecumque ligaveris super terram*, soli tamen Petro insuper claves regni cœlorum datae sunt. Sicut enim multae civitates sunt in uno regno, ita multae partes in populo Christiano. Regnum itaque Christi universalis est ecclesia, ita in potestatem Petri tradita, ut nihil in ea fieri nisi ordinatione vel permissione liceat Romani pontificis » (Idem ibidem).

XCI. B, fol. 93 a ; C, fol. 134 b. — **Lectiones variantes** : 4, 1. Sic rhinoceros, B, quod Pitra interpretatus est *sicut*, unde suppresso *sic* edidit *Ut rhinoceros*. Cum vero Cod. Calmontanus habeat *Hic rhinoceros*, apparet, in Codice Bruxellensi nonnisi falsam litteram primam adpinxisse rubricatorem falsoque lineam super littera i ductam esse. —5, 1. Nunc nequitiae, B, iterum vitio rubricatoris.

Adnotanda : Pitra hymnum attribuit tertio Nocturno festi beatorum Petri ac Pauli. Sed cum nullae sint in Codice Bruxellensi hymnorum inscriptiones, nullaque ratio aliud suadeat, malui festo sancti Pauli adscribere, sicut qui sequitur hymnus sancto Johanni tribuitur. Atque magis etiam festo conversionis sancti Pauli convenit, cui festo adscribitur in Breviario Paraclitensi. Praeterea, quidquid hoc hymno canit, id omne fuse enucleateque tradit Abaelardus sermone XXV, qui de conversione sancti Pauli inscribitur. — 1, 2. Locum in dicto sermone ex Hieronymo ad Pammachium scribente excerpit Abaelardus, ubi ait : Paulum apostolum quotiescunque lego,

videor non mihi verba audire sed tonitrua (Migne PP. LL. tom. 22, p. 502). — 2, 1 sq. Cfr. Act. 9, 15. — 3, 1 sqq. « Quodsi, ita in praefato sermone Abaelardus, de praedicta Job, gentilis regis, prophetia transire ad patriarcharum vel prophetarum vaticinia juvat, primum nobis illud occurrit, quod in benedictione novissimi et dilectissimi filii sui Benjamin Jacob patriarcha praedixit, in typo videlicet hujus apostoli, qui de tribu Benjamin, sicut ipsemet asserit, fuit ». etc. Haec ex Augustino hausta, serm. 279, de s. Paulo n. 1. — 3, 1 sqq. De Paulo, rhinocerotis similitudinem gerente, fuse Abaelardus in eodem sermone : « Hic est rhinoceros seu monoceros ille divinis hodie loris adstrictus, qui pristinam feritatem deposuit divinumque aratrum trahens glebas vallium frangere cœpit », etc. Et haec quidem ex Gregorii moralium libro 31. derivata (Migne PP. LL. tom. 76. p. 589 sqq.).

XCII. B, fol. 93 a. — **Adnotanda** : 1, 1. « Sanctus Johannes apostolus non immerito secundum intelligentiam spiritalem aquilae comparatus altius multoque sublimius aliis tribus erexit praedicationem suam et in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam ceteri tres evangelistae tamquam cum homine Domino in terra ambulabant, de divinitate ejus pauca dixerunt ; istum autem quasi piguerit in terra ambulare sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram et super omnem ambitum aeris et cœli, sed super omnem etiam exercitum angelorum omnemque constitutionem invisibilium potestatum et pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia dicendo : In principio erat verbum, etc. Huic tantae sublimitati principii etiam cetera congrua praedicavit et de Domini divinitate quomodo nullus alius est locutus. Hoc ructabat, quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso evangelio narratur, quia et in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibebat ; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes ». August. In ev. Joh. tract. 36. n. 1. 1, 2 sq. « Soli quippe ipsi concessum est, supra pectus Domini in cœna recumbere... Quod quidem apostolus nequaquam praesumeret, nisi de mira ejus familiaritate confideret, ut in ejus gremio tamquam in stratu aliquo et in ejus pectore quasi in pulvinari quodam sese reclinaret. « Abaelardus, serm. 25, qui est

de sancto Johanne. — 2, 1. Idem Augustinus : « Non rude est auribus caritatis vestrae Evangelistam Johannem velut aquilam volare altius caliginemque terrae transcendere et lucem veritatis **firmioribus oculis intueri** ». In ev. Joh. tract. 15. n. 1. — Et alio in loco : « Restat aquila : ipse est Johannes, sublimium praedicator et lucis internae atque aeternae fixis oculis contemplator. Dicuntur enim et pulli aquilarum a parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi et radiis solis opponi ; qui firme contemplatus fuerit, filius agnoscitur ; si acie palpitaverit, tamquam adulterinus ab ungue dimittitur. Jam ergo videte, quam sublimia loqui debuit, qui est aquilae comparatus ». In ev. Joh. c. 8. tract. 36. n. 5.

XCIII. B, fol. 93 a; C, fol. 205 a. — **Lectiones variantes:** 2, 1, testum, B. — 2, 3, evangelica, C. — **Adnotanda:** Metrum sequenti schemati adaptatur :

— — — — — — ⊥́ — ⊥ *a*
— — — — — — ⊥́ — ⊥ *a*
— — — — — — ⊥́ — ⊥ *a*
— — — — — — ⊥́ — ⊥ *a*

1, 1 sqq. Torxular dominicum crux Domini intelligitur. Cfr. XCIV, 1, 1. Cujus metaphorae fontem atque originem celebrem istum Isaiae locum (63, 3) invenies : *Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum :* Botrus vero ipse Christus est. Unde Hermannus Contractus in sequentia paschali omnem hunc tropum paucissimis verbis exhauriens ait :

Tu pontifex hostia,
Torcular calcans tu uva.

Ceterum confer, quae nuper hac de re scripsimus in ephemeride « *Stimmen aus Maria Laach* » Vol. XL p. 294 sqq.— 2, 1 sqq. Quadrigae Christi, de quibus hic et deinceps sermo, ex prophetia Ezechielis (1, 6) et Apocalypsi (4, 6) ortum deducunt. De quibus quatuor animalibus tam multi tamque diversa scripserunt, ut, quid quisque senserit, hoc loco depromere, exponere, digerere, omnino non possimus. Unde ad unicum

Cahier et Martin. (Nouveaux mélanges d'Archéologie, Ivoi res. p. 84 sqq.) lectorem rejecisse sufficiat. Simile quid eorum, quae hoc loco dicuntur, apud Cassiodorum, Expositionis in Cantica Canticorum cap. 6. leguntur, ubi de quadrigis Aminadab sermo est. « Et est sensus : Conturbata, inquit, sum propter subitam evangelii praedicationem, quae veluti **velocissima quadriga** totum subito mundum pervolavit. Et bene hanc praedicationem non currus sed quadrigas appellat, quia evangelii praedicatio quatuor evangelistarum auctoritate consistit, et quatuor evangelia quasi quatuor quadrigae sunt novi testamenti, cui praesidet auriga ipse Christus temperans et disponens ipse currum evangeliorum ». Haec fere exscripsit Beda, In Cant. Cantic. l. V. c. 28.

XCIV. B, fol. 93 a; C, fol. 205 a. — **Lectiones variantes**: 3, 3. Veste C. — **Adnotanda** : 2, 1 sqq. Haec vel similia jam apud Augustinum invenire est v.g : « Nam et verbum divinum potest uva intelligi. Dictus est enim et Dominus botrus uvae, quem ligno suspensum de terra promissionis, qui praemissi erant a populo Israel, tamquam crucifixum attulerunt ». Enarr. in Ps. 8. n. 2. — 3, 1 sqq. Haec ex Beda ferme mutuavit Abaelardus. Haec enim ille Comment. in Num. c. 13 : « Botrus autem ille pendens de ligno Christus est pendens de ligno crucis de terra genitricis virginis Mariae secundum carnem terrae stirpis visceribus effusus. Duo vectores duo populi sunt, prior Judaicus Christo dorsum et non faciem dedit et, quem in lege portabat, non videbat, cui dicitur : *Obscurentur oculi eorum, ne videant* et reliqua. Posterior populus gentium est, qui in Christum credens et semper illum portans videt et quasi servus Dominum sequitur. » Unde ea, quae in hymno de prophetis et evangelistis narrantur, rem si spectes, non longe absunt. Confer imagines antiquas, hoc ipsum graphice exprimentes in opere cui titulus : Mittheilungen der kaiserl. königl. Central Comission zur Erforschung und Erhaltung der Baudenkmale, Band III (1858) p. 313; quibus haec ex Codice Vindobonensi Palatino 1179 descripta adjiciunt : « Duo ferentes botrum senex et juvenis significant Judaeos et Christianos, qui deferunt Jesum. Senex, qui praecedebat et juveni viam ostendebat, significat Judaeos, qui deferebant mandata Jesu Christi et tamen sua facta ignorabant. Juvenis, qui sequebatur et videbat suum onus, significat Chris-

tianos, qui vident suum onus per mandata legis et evangelii Jesu Christi ».

XCV. B, fol. 93; C, fol. 207 a. — **Lectiones variantes** : 1, 1. Quatuor sunt haec, B. — 1, 2, distentia, C. — 3, 4, sunt vacua.

Adnotanda : 1, 3, scilicet Ezechielis 1, 16. — 1, 4, Apoc. 4, 6.

XCVI. B, fol. 93 b; C fol. 207. a. — **Lectiones variantes** : 1, 1 Sunt cum B, vitio rubricatoris. — 1, 3 cum elevantibus B. — 1, 4. Cum his, B; cum hiis, C, quod potest esse *his* vel *iis* ; hoc loco ultimum rhythmi causa praeferendum. — 2, 3, *ex* deest, C.

XCVII. B, fol. 94 a; C, fol. 184 a. — **Lectiones variantes** : 1, 1, Acutum Deus, C, rubricator loco S adpinxit A. — 2, 6, illic C. — 2, 9. Pugnat thoris, B. — 2, 11. Ferro flaminis, C; secus hostis, B. — 2, 12, Noscunt intus, B.

Adnotanda : Metrum hymnorum de sanctis martyribus ex maxime variis est. Cujus hoc est schema :

– – – – – – ⊥ – ∟ *a*
– – – – – – ⊥ – ∟ *a*
– – – – – – ⊥ – ∟ *a*
– – – – – – ⊥ – ∟ *a*

– – – – – – ⊥ – ∟ *b*
– – – – – – ⊥ – ∟ *b*
– – – – – – ⊥ – ∟ *b*
– – – – – – ⊥ – ∟ *b*

⊥ – ⊥ – | ⊥ – ⊥ – *c*
⊥ – ⊥ – | ⊥ – ⊥ – *c*

– – ⊥ – | – – – – – ⊥ – ∟ *d*
– – ⊥ – | – – – – – ⊥ – ∟ *d*
– – ⊥ – | – – – – – ⊥ – ∟ *d*
– – ⊥ – | – – – – – ⊥ – ∟ *d*

Quod cum bis secundum morem carminum, quae Lais vocamus, persolutum est, subjungitur Doxologia, cujus hic est rhythmus :

⊥ — ∟ | ⊥ — ∟ *a*
— — — ⊥ — ∟ *b*
⊥ — ∟ | ⊥ — ∟ *a*
— — — ⊥ — ∟ *b*
⊥ — ∟ | ⊥ — ∟ *a*
— — — ⊥ — ∟ *b*

1, 1. Cfr: Scutum est omnium sperantium in se. 2. Reg. 22, 81; praeterea Ps. 5, 13; 34, 2; 90, 5. — 1, 7 sq. Confer illud Augustini « Quid est justitiae lorica indui et accipere scutum fidei et galeam salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei, nisi a Domino donis ejus armari»? Serm. 313. in natali Cypriani 5. n. 3. — 2, 1 sq. Cfr. Ps. 60, 4.

XCVIII. B, fol. 94 b; C, fol. 184 b. — **Lectiones variantes**: 1, 7. Sinapis vim, B. — 4, 8, eans B, non eas, ut ait Pitra. — 1, 11, tontuntur, B. — 1, 14, videns, B. — 2, 5. Flaminis aquis, C.

Adnotanda: 1, 4 sq. Sap. 3, 6; Eccli 2, 5. — 1, 6 sq. Haec ex Gregorio M. « Granum sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus cognoscitur, nam non contritum leve est. Si vero conteritur, inadescit et, quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisque vir sanctus, cum non pulsatur, despicabilis ac levis ostenditur; si qua vero illum tritura persecutionis premat, mox omne, quod calidum sapit, ostendit atque in fervorem virtutis vertitur, quidquid in illo ante despicabile infirmumque videbatur, quodque in se tranquillitatis tempore libens operuerat, exagitatus, tribulationibus coactus innotescit ». (Moral. praef. C. 2. n. 6). Cfr. praeterea Pitra Spicileg. Solesmen. II, 424. Sed haec praeclarius nemo expressit Adamo a S. Victore in Sequentia de S. Laurentio:

Parum sapis vim sinapis,
Si non tangis, si non frangis
Et plus fragrat, quando flagrat,
  Thus injectum ignibus.
Sic artatus et assatus
Sub ardore, sub labore
Dat odorem pleniorem
  Martyr de virtutibus.

1, 11 sqq. Haec sin minus ad verba certe ad mentem Augustini sunt dicta. Ita enim lib. I. de Civitate c. 8 : « Manet dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, et licet sub eodem tormento non est idem virtus et vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, et sub eadem tribula stipulae cominuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur : ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat ».

XCIX. — B, fol. 94 b.; C, fol. 185 a. — **Lectiones variantes** : 2, 13. Quid agant, B, omisso *hic*. — 2, 14, intuantur, C.

C. — B, fol. 94 b,; C, fol. 185 b. — **Lectiones variantes** : 1, 1. Curris C, falsa litera prima adpicta. — 1, 3. Habent, B. — 2, 11. Non pollemus nostrum, B, id quod retinet Pitra, licet omni sensu careat sententia.

Adnotanda : 1, 1 sqq. Haec ex Cantico Canticorum, 4, 4 desumpta : *Sicut turris David collum tuum... mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium;* verba tamen ad aliud illustrandum traxit Abaelardus. — 2, 11 sq. Confer, quae supra de militibus deque peditibus monuimus LXXXV, 2, 1.

CI. — B, fol. 93 b; C, fol. 26 a. — **Adnotanda** : Hymnis de innocentibus hoc est metrum :

⊥ – ⊥ – *a*
⊥ – ⊥ – *a*
  ⊥ – ⊥ – *c*
⊥ – ⊥ – *b*
⊥ – ⊥ – *b*
  ⊥ – ⊥ – *c*

2, 4 sq. Cf. Matth., 2, 3. — 4, 1. Conferantur versus Aurelii Prudentii tam fœde sub « Apis Atticae » auspiciis devastati :

Quid profuit tantum nefas?
Inter coaevi sanguinis
Fluenta solus integer
Impune Christus tollitur.

CII. — B, fol. 93 b ; C, fol. 26 a. — **Lectiones variantes** : 4, 3. Post hunc versum haec in nota adjecit Pitra : Cetera desunt in Codice Bruxellensi ; haec autem interseruntur Macrobii : « Macrobius in Saturnaliorum libro II, de Augusto et jocis ejus : Cum audisset, inter pueros, quos in Syria Herodes, rex Judaeorum, in tribunatum ! [Codex habet : inter bimatum] jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait : « Melius est Herodis porcum esse quam filium ; nec ipsius infans tutus est a caede » Imo accede in codice. Haec Pitra. Nihil deest in codice ; sed editor Augustum recitantem facit versus Abaelardi. — 5, 2, dilatur.

Adnotanda : 3, 4 Alludit poeta ad ea, quae de Romulo Remoque puerulis antiqua tradit fabula, eos a matre abjectos a lupa fuisse enutritos. — 6, 1. Haec ex Macrobio prout modo dictum, non tamen ex libro secundo Saturnalium sed quarto, capite quod inscribitur : De jocis Augusti in alios et aliorum rursus in ipsum. Eundem locum inserit Abaelardus sermoni 34, qui est de natali Innocentum et addit : « Credebat enim Augustus ipsum etiam Herodem, regem Judaeorum, more populi sui a carne abstinere porcina et ob hoc eum nequaquam porcos occidere velle, a quorum usu decreverat abstinere. Utrum vero hoc scienter an per ignorantiam ad **generale edictum** regalis imperii sit factum, non satis ex praedictis verbis liquide apparet. Potuit quippe fieri, ut qui pro uno turbatus infante ab omnibus verebatur, suum quoque filium suspicaretur, per quem regnum amitteret vel in eo dolorem aliorum leniri crederet, et ob hoc etiam ipsum occidi furor immoderatus praeciperet, ut sic sceleris immensitas in admirationem sui cunctos commoveret. Quod si eo ignorante divino judicio quacunque occasione id actum sit, benedictus Deus, qui impii gaudium retorsit in ipsum et quam a proprio filio [necem] avertit, in maledictum germen nequissimum convertit ».

CIII. — B, fol. 93 b ; C, fol. 28 a. — **Lectiones variantes**: 1, 1, lactandum, B. — 1, 4 *Lactantes* mutavit in *lactentes* Pitra ; sed frequens est prioris formae usus v. g. apud Augustinum. — 3, 3, tamque stupendum, B. — 3, 4 sq. Quid a natura humana tam, B. — 4, 4 sqq. Non meum inquit regnum est de hoc mundo, B.

Adnotanda : 2, 1 Haec pulcherrime dicta, an de suo Abaelardo deprompserit, an aliunde hauserit, indagare non potui. — 4, 1

Haec et quae sequuntur versus Sedulii in mentem revocant notissimos :

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

CIV. — B, fol. 94 a; C, fol. 28 a. — **Lectiones variantes** : 1, 6, epilantes, B. — 3, 5, frustra, BC; legendum tamen evidenter *frusta*. — 3, 6. Sic cupio, B. — 4, 1. Fundit pectus, B sequente Pitra. — 4, 2, sinus scindit, B.

Adnotanda : 1, 1 Cfr. Ier. 31, 15, ad quem locum lectorem rejicit Matth., 2. 18. Quo vero jure id fecerit, audi Hieronymum dicentem (Comment. lib. I, in Matth. c. 2): « De Rachel natus est Benjamin, in cujus tribu non est Bethlehem. Quaeritur ergo, quomodo Rachel filios Judae, id est Bethlehem, quasi suos ploret. Respondebimus breviter, quia sepulta sit juxta Bethlehem in Ephrata et ex materno corpusculi hospitio matris nomen acceperit. Sive quoniam Juda et Benjamin duae tribus junctae erant et Herodes praeceperat non solum in Bethlehem interfici pueros sed in omnibus finibus ejus. » — 6, 3 sq. Haec ex Collecta festi Innocentium, cujus hoc est initium : Deus, cujus hodierna die praeconium innocentes martyres **non loquendo sed moriendo confessi sunt**, etc.

CV. — C, fol. 193 a. — **Lectiones variantes** : 3, 3. Abstulit, C. — 5, 3, per gloria, C. — **Adnotanda** : 1, 3. Hic versus indicat, Abaelardum, cum hunc hymnum scriberet, existimasse, Dionysium Parisiensem Areopagitam fuisse. Unde hymnus conscriptus videtur primo suo in Abbatiam Dionysianam adventu, antequam in Bedam incidens de Areopagita dubia conceperit, de quibus agit in historia calamitatum capite X : « Fortuito namque mihi quadam die legenti occurrit quaedam Bedae sententia, qua in expositione actuum apostolorum asserit, Dionysium Areopagitam Corinthiorum potius quam Atheniensium fuisse episcopum. Quod valde eis contrarium videbatur, qui suum Dionysium illum Areopagitam jactitant, quem ipsum Atheniensem episcopum gesta ejus fuisse profitentur. Quod cum reperissem, quibusdam circumstantium fratrum quasi

jocando monstravi, testimonium scilicet illud Bedae, quod nobis objiciebatur. Illi vero valde indignati dixerunt, Bedam mendacissimum scriptorem èt se Hilduinum abbatem suum veriorem habere testem, qui pro hoc investigando Graeciam diu perlustravit et rei veritate agnita in gestis illius, quae conscripsit, hanc veraciter dubitationem removit. Unde cum unus eorum importuna interrogatione pulsaret, quid mihi super hac controversia Bedae videlicet atque Hilduini videretur, respondi, Bedae auctoritatem, cujus scripta universae Latinorum frequentant ecclesiae, gratiorem mihi videri. Ex quo illi vehementer accensi clamare coeperunt, nunc me patenter ostendisse, quod semper monasterium illud nostrum infestaverim et quod nunc maxime toti regno derogaverim, ei videlicet honorem illum auferens, quo singulariter gloriaretur, cum eorum patronum Areopagitam fuisse denegarem ».

CVI. — C, fol. 193 a. — **Lectiones variantes:** 3, 4, consueverat, C. — **Adnotanda:** 2, 3. Cfr. Heb. 10, 14. — 4, 1 sqq. Infiniti sunt sancti, de quibus legenda refert, eos abscissa gladio persecutorum capita propria manu huc illuc asportasse. Haec praeter Dionysium, Rusticum et Eleutherium de sancta Valeria Lemovicensi, de SS. Maximo et Venerando, de S. Eusebio, Nicasio, Saviniano, etc., etc. De sancta Valeria vetusta prosa : « O admiranda admodum facta, tulit casta sublimis erecta cephal sua gestando inter brachia». Analecta hymnica VII, 225. De Maximo vero et Venerando haec in sequentia Missalis Ebroicensis impressi Rotomagi 1497 leguntur :

Tandem in quadam insula
Aquigniaco proxima
Pro Christo caesi propria
Ferunt tumulis capita.

CVII. — C, fol. 180 a. — **Adnotanda** : Metrum hujus hymni et duorum proxime sequentium idem est ac metrum hymni decimi. Aigulphi, abbatis Lirinensis, a propriis monachis interfecti, corpus Privignum delatum dicebatur, ubi Prioratum, Abbatiae S. Petri Trecensis subjectum, cui Cellae Sancti Aigulphi nomen, sub annum 1048 erexerat Theobaldus I, Campaniae comes. Ibi Abaelardus ob causam, de qua diximus, Areopagiticam e monasterio Sandionysiano profugus aliquamdiu vixit, donec accepta abbatis sui venia in eremum Paracli-

tensem se recepit. Atque haec absque dubio causa hocque tempus fuit conditi, quem hoc loco inserimus, hymni. De sancto Aigulpho cfr. Acta SS. Septemb. III, 728 sqq.; de cella Privigni et ibidem et in Abaelardi historia calamitatum suarum, c. 10. sub finem pauca dicuntur. Migne PP. LL. tom. 178, p. 156. not. 49.

CVIII. — C, fol. 199 b. — **Adnotanda** : Hic cum sequenti hymno in Diurnali Paraclitensi non nisi unus est. Divisi tamen, tum quia aliorum hymnorum analogia hoc suadet, tum quia longior est, quam Abaelardi carmina liturgica esse solent. Forte etiam plures quam duos hymnos in unum congestos habemus, ita ut uterque hymnus secundam divisionem subeat necesse sit. Sed haec non ita explorata sunt, ut scrupulum dividenti non relinquant. De fabulosis sancti Eustachii actis, quae ex ordine poeta sequitur, non est cur hocloco disseram. Rejicio lectorem ad Acta SS. Septemb. VI, 120, sqq.

CIX. — C, fol. 200, a. — **Lectiones variantes**: 4, 2, lavare, C. — 6, 4, deest rhythmo syllaba una, forte *et*, quod uncis inclusum adjeci. — 7, 3. Deest verbum trium syllabarum, forte, quod uncis inclusi, *tendere*.

CX. — B fol. 95 a ; C fol. 177 b. — **Lectiones variantes** : 1, 3, celebret, C. — 1, 4, quorum fides, C. — 1, 6, extolluntur gratiae, C. — 1, 8, beati quicumque sunt, B, quae peccant contra rhythmi leges ; quibus verbis haec superscripta leguntur : *vel: sine quo beati nulli sunt*. — 2, 2, deest *hos*, C. — 3, 1, mirabilis, C. — 3, 2, *quae sunt* desunt, B. — 3, 3, quidquid ultra potentia, C. — Hymnus cum tribus proxime sequentibus adscribitur in Breviario Paraclitensi festivitati sanctorum Aegidii et Lupi, est tamen de communi.

Adnotanda: Subjicio imprimis rhythmi schema hymnorum de confessoribus. Ita se habet :

— — — — —́ — ∟ | — — ∟ —̀ ∟ *a*
— — — — ∟ — ∟ | — — ∟ — ∟ *a*
—́ — —́ — | — — — — —́ — ∟ *b*
—́ — —́ — | — — — — —́ — ∟ *b*

⊥ – ⊥ – | ⊥ – ⊥ – | ⊥ – ⊥ – ⊥ – ∟ *c*
⊥ – ⊥ – | ⊥ – ⊥ – | ⊥ – ⊥ – ⊥ – ∟ *c*
⊥ – ∟ | – – – ⊥ – ∟ *d*
⊥ – ∟ | – – – ⊥ – ∟ *d*

Animadvertendum tamen, quod in hymno secundo excepta doxologia, quae eadem est ac in praecedenti et sequentibus hymnis, versus tertius et quartus aliam sequuntur legem, hanc scilicet :

– – – – ⊥ – ∟ | – ⊥ – ∟
– – – – ⊥ – ∟ | – ⊥ – ∟

1, 2. Confer celebres Apostoli locos Eph. 5, 19 ; Col. 3, 16, de quibus jam supra. — 1, 4. Bene hoc loco et versu 2, 1 sqq. doctrinam de cultu sanctorum imponit Abaelardus. Quod hoc loco et sanctos pro nobis orare et a nobis exorandos esse docet, idem praeclare paucis verbis Augustinus : « Dominus enim noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis : omnes martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster ». Enarr. in Ps. 85. n. 24. — 2, 1 sqq. Docet sanctos non nisi in Deo Deumque in sanctis esse colendum ; cujus rei eam rationem adsignat, quod quidquid in sanctis laudatur, Dei donum, Dei gratia est, secundum illud Pauli : *Gratia Dei sum id, quod sum.* 1 Cor. 15, 10. — 3, 1. Cfr. Ps. 67, 36.

CXI.—B, fol. 95 a; C, fol. 178 b.— **Lectiones variantes**: 1, 1, edomant, B. — 1, 5, sunt hi (hii) tua, BC ; nescio, cur Pitra ediderit *sunt his tua ?* — 2, 2. Audacter languoribus, B.

Adnotanda : 1, 3, Cfr. Philipp. 2, 3 : *qui operatur in vobis et velle et perficere ;* Rom. 9, 16 : *igitur non volentis neque currentis sed miserentis est Dei.* Unum ex innumeris adjiciam locum, in quibus hac de re tractat Augustinus : « Jam ergo dicunt, ita sermone 157. n. 13, adjutricem esse gratiam Dei ad facilius facienda. Ista sunt enim verba eorum : Ad hoc dedit, inquiunt, Deus gratiam suam hominibus, ut, quod facere jubentur per liberum arbitrium, facilius possint implere per

gratiam. Velo facilius, remo difficilius, tamen et remo itur. Jumento facilius, pedibus difficilius, sed tamen et pedibus pervenitur. Non est sic. Magister enim verus, qui neminem palpat, neminem fallit, verax doctor idemque salvator, ad quem nos duxit molestissimus paedagogus, cum de bonis operibus, id est de sarmentorum et palmitum fructibus loqueretur, non ait : Sine me quidem potestis facere aliquid sed facilius per me ; non ait : Fructum vestrum sine me potestis facere, sed uberiorem per me. Non hoc dixit. Legite, quid dixerit. Evangelium sanctum est, omnium superba colla subduntur. Non haec dicit Augustinus, haec dicit Dominus. Quid dicit Dominus ? Sine me nihil potestis facere ». — 2, 6. Quidquid petunt, per te possunt. Est ergo quasi quaedam sanctis omnipotentia, sed omnipotentia supplex, ut loqui consuevit theologia christiana. Omnia possunt non facere sed impetrare ; nihil tamen videntur petere posse, quod nolle Deum concedere ipsos non latet. Neque vix, si quid est, eos latere potest. Conferantur, quae narrat Augustinus sermone 319, qui est de S. Stephano, n. 6 : « Ergo hoc commendo caritati vestrae ut sciatis, quod orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia. Nam invenimus etiam in libellis, qui dantur, fuisse illi difficultates impetrandi et accepisse tamen postea beneficium non deficiente supplicis fide. Non cessatum est, oratum est et dedit postea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani et responsum est illi : Pro qua oras, non est digna, hoc et hoc fecit. Et tamen institit, rogavit, accepit. Dedit nobis intelligere, quia in cujus nomine faciebat, antequam carnem deponeret, in ejus nomine faciunt orationes ejus, ut beneficia impetrentur, quibus novit ea dari debere ».

CXII. — B, fol. 95 a ; C, fol. 178 b. — **Lectiones variantes** : 1, 6, crucifixus, B. — 2, 2, sed paratus animus habuit adfuit, B ; loco *habuit* edidit Pitra : *illis adfuit ;* sed cum Codex Calvimontanus habeat *huic adfuit*, dubitari nequit quin illud *habuit* codicis Bruxellensis error sit ortum ex male lecto et intellecto *huic*. Sensus est : adfuit tamen confessoribus animus huic (i. e. gladio) paratus. — 2, 4, Palam, B.

Adnotanda : 1, 3. Cfr. Matth. 16, 24 ; Marc. 8, 34 ; Luc. 9, 23. — 1, 4. Gal. 6, 14. — 1, 5. Confer, quae in Hexaemeron proponit poeta : « Sexta aetate homo renovatus in paradiso collocatur,

quia post passionem Domini tantum aditus coelestis hominibus patuit, ut primum **sabbatum in anima**, postmodum **octavam in corpore simul et anima** celebrent ». Sabbatum in anima requiem intelligit sanctorum usque ad diem judicii ultimi; octavam, quae corpore glorificato sine fine deinceps duratura est. — 2, 6, Prov. 24, 12.

CXIII. — B, fol. 95 a ; C, fol. 179 b. — **Lectiones variantes** : 1, 6, erecta, C. — 2, 4, circumstans cum stans, B. — 2, 6, laetare, B.

Adnotanda : 2, 4. Duplex mors, corporis videlicet et animae. De qua morte Augustinus: « Quaero, quare mortua est anima ? Quod paulo ante dicebam quaero, quare mortuum est corpus ? Quia discessit vita ejus, anima. Quare mortua est anima? Quia deseruit eam vita ejus, Deus.... Mors corporis sempiterna poena, mors animae Dei absentia. Vis nosse, quae sit mors animae ? Intellige prophetam dicentem : *Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini* (Is. 26, 10). Timeat ergo anima mortem suam et non timeat mortem corporis sui ». Serm. 66 (De verbis ev. Matth. c. 10). n. 6. sq.

CXIV. — C, fol. 160 a. — **Lectiones variantes** : 4, 2. Pax sit, C. — **Adnotanda** : De Metro vide ad hymnum LXXIII dicta. Hic et qui sequuntur hymni in Breviario Paraclitensi Octavae S. Johannis adscribuntur atque hoc ideo, quia in ipsa festi die antiquos hymnos retinebant moniales. — 2, 2. Luc. 1, 76 ; Matth. 11, 7 sqq. — 3, 1 sqq. Haec ad imitationem hymni, Paulo Diacono adscribi solito, *Ut queant laxis :*

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam,
Trina centeno cumulata fructu
Te, sacer, ornant.

CXV. — C, fol. 160 a. — **Adnotanda** : 1. 1. Luc. 1, 19. — 2, 1. sqq. Ibid. v. 20 et 64. — 3, 1 sqq. Luc. 1, 44.

CXVI. — C, fol. 160 b. — **Lectiones variantes** : 3, 4. Christo, C. — 4, 1. Quam prophetis, C. – **Adnotanda** : 1, 1 sq : « Merito ergo sterilis peperit praeconem, virgo judicem. In matre Johannis sterilitas accepit fecunditatem : in matre Christi fecunditas non corrupit integritatem ». Augustin. Serm. 288, In natali S. Joh. B. 2. nº 1. — 2, 1 sqq. « Considerate, monachi, haec

Abaelardus serm. 33., dignitatem vestram, Johannes princeps vestri est dogmatis. Ipse monachus, statim ut natus est, in eremo vivit, in eremo nutritur. Christum exspectat in solitudine... Ipse revera onager liber fuit, qui ab infantia ruptis carnalium affectionum vinculis spretaque domo parentum ad horridum eremi desertum se contulit, non quidem ut Elias metu persecutionis coactus sed abstinentiae virtute spontaneus. Qui in illa solitudine, quam salsugineos et aridae terrae tabernaculum efficeret corpus suum, evangelia docent ». Hinc in hymno, de quo supra :

Praepotens martyr **eremique cultor,**
Maxime vatum.

3, 1. sqq. Cfr. Luc. 3, 15. « Tam enim magnus erat, ut Christus posset putari ». August. l. c. n. 2. « Si comparetur hominibus, omnes superat ille homo, non eum vincit nisi Deus homo. Tanta in eo excellentia erat, tanta gratia, ut ipse putatus sit Christus ». Idem serm. 289 (in Nat. 6. Joh. B. 3.) n. 5.

CXVII. — C, fol. 160 b. — **Adnotanda**: 1, 1. Luc. 1, 76. — 2, 1. Joh. 1, 8. *Non erat ille lux sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Christus ex Johanne 1, 1, **verbum** patris, Johannes ex Is. 40, 3, Matth. 3, 3, **vox** clamantis in deserto ; unde Adamus a S. Victore :

Vox praeit verbum.

Quod ex subtili illo ac notissimo Augustini sermone 288 (in nat. Joh. B. 2) hausisse putandus est. Ubi post multa : « Ecce jam scio, quod volo dicere, corde teneo, ministerium vocis inquiro ; antequam sonet vox in ore meo, jam tenetur verbum in corde meo. Praecessit ergo verbum vocem meam et in me prius est verbum, posterior vox. Ad te autem, ut intelligas, prior venit vox auri tuae, ut verbum insinuetur menti tuae. Nosse enim non posses, quod in me fuerat ante vocem, nisi in te fuerit post vocem. Ergo si vox Johannes, verbum Christus : ante Johannem Christus, sed apud Deum ; post Johannem Christus, sed apud nos ». — 3, 1. Haec hausta ex hymno Paulo Diacono tributo :

O nimis felix meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Praepotens martyr eremique cultor,
Maxime vatum.

CXVIII. — C, fol. 145. — **Lectiones variantes**: 5, 2, insignus, C. — **Adnotanda**: De hoc hymno, utrum ab Abaelardo confectus sit nec ne, supra in prooemio disputavimus. Reliqua tam plana tamque lucida cuncta sunt, ut ab omni expositione refugiant.

CXIX. — C fol. 137 a. — **Lectiones variantes**: 4, 2, eminerint, C. — 4, 3, Gildam, C. — 5, 1, deest *Ruia* C; quid praeter *Ruiam* suppleri queat, haud video, cum *Britannia* seu *Armorica* singulis syllabis abundent, *patria* seu *Gallia* latius patere videantur. Quodsi *Ruia* hoc loco scripserat auctor, facile intelligitur, cur hymno in Breviarium Paraclitense recepto, fieri potuerit, ut vox ista excideret, id quod voci omnibus obviae difficilius obtigisset.

Adnotanda: De Metro vide ad hymnum X. dicta. — Evidens res est, hunc hymnum ab Abaelardo compositum esse pro Abbatia Sancti Gildae Ruiensi in minori Britannia, ad quam regendam ex cella Pariclitensi, ubi adversariorum suorum iras declinans delitescebat, communi monachorum suffragio assumptus est. Sanctus Gilda, cui Sapientis cognomen inditum est, auctor habetur celebris non obstante barbarie carminis, quod Lurica dicitur, quodque ediderunt Cockayne, Leechdoms, Wortcunning and Starcraft of Early England, Rolls Series I, p. LXXIII; Mone, Lateinische Hymnen des Mittelalters I, p. 367; Daniel, Thesaurus hymnologicus IV, 111; Whitley Stokes, Jrish Glosses, etc. Dublin, 1860, p. 133; De Gray Birch, An ancient Manuscript, etc. London, 1889, p. 91. — 2, 1 Matth. 5, 15; Marc. 4, 21; Luc. 8,16; 11,33. — 3, 1 sqq. Cum his et sequentibus conferatur necesse est, quae in historia calamitatum suarum scribit poeta, cap. 13: « Sicque me Francorum invidia ad Occidentem sicut Hieronymum Romanorum expulit ad Orientem... Terra quippe barbara et terrae lingua mihi incognita erat et turpis atque indomabilis illorum monachorum vita omnibus fere notissima et **gens terrae illius**

inhumana atque incomposita... sic ergo ab uno periculo in aliud scienter me contuli ibique **ad horrisoni undas Oceani**, cum fugam mihi ulterius terrae postremitas non praeberet, saepe in orationibus meis illud revolvebam : *A finibus terrae ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum* (Ps. 60, 3). »

CXX. — B, fol. 96 a; C, fol. 218 b. — **Lectiones variantes**: 1, 1, tam virgo quam mater, B, id quod Pitram adamussim edidisse mireris, licet cum rhythmo homoeoteleuton atque sensus deficiat. — 2, 3. Ut sexus harum, B ; ut quod sexus harum, C. Ut et rhythmus et sensus salvi sint, legendum : *ut quo sexus*. — 2, 4. Sic ipsarum, B. — 4, 5. Christi decus, B. —

Adnotanda : A hymno CXX. ad hymnum CXXIX. sequenti lege rhythmus moderatur :

– – – – | – – – – – ´ – ` *a*
– – – – | – – – – – ´ – ` *a*
– – – – | – – – – – ´ – ` *b*
– – – – | – – – – – ´ – – *b*
– – – – | – – ´ – ` *c*
– – – – | – – ´ – ` *c*

3, 3 sq. Num. 19, 2. Diutius expositioni hujus loci immoratur Augustinus, Quaest. in Num. l. IV. q. 33, ubi haec : « De juvenca rufa, cujus cinerem ad aquam aspersionis eorumque mundationem, qui mortuum tetigerint, proficere lex mandavit, nec tacere permittitur; evidentissimum enim signum in ea novi testamenti praefiguratur ». Sed secundum Augustinum juvenca rufa typus est resurrectionis ; hanc Abaelardus typum seu simile quoddam esse vult virginum martyrum, cujus alia ratio allegari nequit, nisi juvenca virginem, colore vero rubro martyrem insinuari dicamus, id quod et 4, 1 sqq. satis innuitur.

Simile quid in carmine de sancto Cyrico invenitur, quod Hucbaldo tribuendum censuit I. Desilve (De schola Elnonensi, Lovanii 1890, p. 187 bis), ubi haec :

Hinc hysopum, cedri ligna, bis tincti cocci serica.
Offerri cum vacca rufa jubet lex Mosaïca.

Sed haec, quominus Hucbaldi esse dicamus, ratio obstat ὁμοιοτελεύτων.

CXXI. — B, fol. 96 a. — *Lectiones variantes:* 1, 1, sit Deus, B; jure ordinem invertit Cousin, id enim rhythmi ratio suadet. — 1, 2, in meritum victoriis, B, quod nullum omnino sensum habet. Se ipsa lectio imponit : *martyrum* victoriis ; hic enim est sensus : Deus, licet in omnibus sanctis mirabilis sit, in martyrum tamen victoriis etiam mirabilior. — 1, 3. Sed cum dat feminis, B, ubi rhythmo complendo una syllaba deest, quae non nisi *et* (etiam) esse potest ; ultra enim assurgit gradatio : mirabilis Deus in sanctis, mirabilior in martyribus, sed quid quod etiam feminis hanc dat victoriae palmam ! — 1, 4, praeferat gratiam, B, iterum verbum monosyllabum deest, quod fere esse non potest nisi *hanc*, quam voculam uncis inclusam textui adjeci. — 1, 5. Ut sexus est, B; tertio unius syllabae vox desideratur, ni fallor, *quo*.

Adnotanda: 1, 1. Ps. 67, 36. Communis est lateque repsit haec interpretatio, licet dicendo *in sanctis* non sanctos sed sancta, templum videlicet et sancta sanctorum in mente habuerit psalmista. Ipse Augustinus de gloria sanctorum locum interpretatur Enarr. in Ps. 67 n. 43 sqq. : « Non enim solus veniet ad judicium sed cum senioribus populi sui, quibus promisit, quod sedebunt super sedes judicaturi, qui etiam angelos judicabunt. Hae sunt nubes. Denique ne aliud nubes intelligeretur, secutus adjunxit : *Mirabilis Deus in sanctis suis* ». — 3, 1 sqq. Haec poetica circumlocutio pulcherrimi illius loci Cant. 8, 6 sqq. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt exstinguere caritatem nec flumina obruent illam.* — 3, 5. Animadvertit ad hunc versum Pitra : « Sic Codex ; forte legendum *nunquam* ». Recte omnino Codex ; sensus enim est : Nec est unquam sexus, quantumcunque sit fragilis, debilis cum hac, scilicet cum caritate, si habeat caritatem.

CXXII. B, fol. 96 b. — **Lectiones variantes:** Quanto sponso, B. — 2, 6, iucto. B. — 3, 4. Et quae coronas, B ; rhythmus et sensus postulant, ut omittatur *quae*. — 3, 5. Ceterarum hoc est B ; sed haec sensu carent.

Adnotanda : 2, 2. Cfr. Apoc. 14, 4. — 3, 1 sqq. Haec ex Ps. 44, 10. — 4, 6. Haec ex carmine Salomonis alphabetico de muliere forti, Prov. 31, 22 : *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus.* Byssus et purpura castitatem

hoc loco et martyrium innuunt; in scripturis ad indumenta divitum designanda usurpantur; hinc malum divitem indutum fuisse purpura et bysso legimus (Luc, 16, 19) et in apocalypsi vae pronuntiatur contra civitatem magnam, *quae amicta erat bysso et purpura* (Apoc. 19, 16). — 5, 1 sq. Cant. 7, 1.

CXXIII. — B, fol. 96, b ; C, fol. 220 a. — **Lectiones variantes** : 1, 2 junguntur B.; choro C. — 1, 3 Sicut sponsa foederata fecerat, B cum Pitra. — 1, 5, sic in fide B. — 2, 1, habent, B. — 2, 2 habemus hic, B. — 2, 4, deduxit, C. — 2, 6, mater habet martyres, B, nec aliter Pitra, licet hymnus sit de virgine. — 4, 1, oculos, B.

Adnotanda : 1, 1 Cant. 6, 9. — 1, 3 sq. Virgines hac in vita sponsae Christo subarrhantur, celebrantur nuptiae in thalamo coelesti; unde in hymno de S. Katharina legitur :

Ad Kastharinae nuptias,
Quarum pincerna Christus est,
Novas ferentes lampades
Sacrae venite virgines.

Hinc Augustinus Christum virginis filium et virginum sponsum appellat, virginali utero natum, virginali connubio spiritualiter cujugatum. « Cum ipsa igitur universa ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit apostolus, quanto digna sunt honore membra ejus, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide » ? Lib. de Virginitate c. 1 n. 2. — 4, 1, Cfr. 1 Cor. 2, 9.

CXXIV. — B. fo. 95 a. — **Lectiones variantes** : 1, 4, tam vitae quam, B. — 2, 4, majora, B. — 4, 4, post exhiberat, B, quod Pitra immutandum duxis in *postea liberat*, destruendo rhythmum et plus quam rhythmum ; legendum absque ulla haesitatione *post exuberat*. — 4, 2, Magdalenae ungens Aegyptiacam, ita ad fidem Cod. B edit Pitra. Sed quis est, qui intelligat : Mariae Magdalenae ungens Mariam Aegyptiacam ? Sane legendum *jungens*.

Adnotanda : 1, 5 sq. Non Evae inobedientia atque peccatum humanum genus perdidit sed Adae ; non Mariae obedientia mundum redemit sed Christi. At sicut Eva radix et ansa est

perditionis, ita Maria fons et origo redemptionis. Hinc **Augustinus** : « Quia per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo ». Serm. 332, in diebus Paschal. 3. n. 2. Unde, si in hymnis quandoque ecclesiasticis Maria reparatrix vel salvatrix saeculi dicitur, nihil est, cur ejusmodi verba in malam partem interpretantes de haeresi vel idolatria conclamemus.

CXXV. — B, fol. 95 b. — **Adnotanda** : 2, 4 sq. Fortes scilicet mente et virtute, licet sexu fragiles sint. Simile quid innuere videtur Augustinus, De Genesi contra Manichaeos l. 2, c. 13 : « Vocavit ergo mulierem suam vir tamquam potior inferiorem et dixit : *Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea* (Gen. 2, 23). **Os de ossibus fortasse propter fortitudinem** et caro de carne propter temperantiam ». — 3, 5 sq. Festum matris septem fratrum Maccabaeorum in ipsa Romana liturgia adhuc celebratur. Confer Sermones, quos in horum solemnitate habuit Augustinus (300 et 301), in quorum priore his verbis exorsus : « Istum diem, nobis solemnem gloria Macchabaeorum fecit », haec postea subdit : « Unde, sicut dixi, exstiterunt prophetae, inde isti martyres floruerunt. Nondum quidem erat mortuus Christus, sed martyres eos fecit moriturus Christus ». — 4, 1 sqq. Notandum est, Abaelardum reliquis antiquae legis feminis virginibusque sanctis post pauca verba relictis, diutius et hic et in sequenti hymno in filia Jephte commendanda immorari. Neque id mirum, cum de ipsa lugubre composuerit carmen, tertium inter sex Abaelardi planctus, quos ex Codice Vaticano primus Greith (Spicilegium Vaticanum, Frauenfeld 1838, p. 123, sqq.), nuperrime vero Wilhelmus Meyer Spirensis edidit (Petri Abaelardi planctus virginum Israel super filia Jeptae Galaditae. München 1885 ; Petri Abaelardi planctus I. II. IV. V. VI. Erlangen 1890).

CXXVI. — B, fol. 95 b. — **Adnotanda** : 2, 1. In filiam Jephte convertit Abaelardus, quae ex Gregorio Theologo desumpta legerat in Breviario Romano. Haec enim ille orationis in Macchabaeorum laude sub initium : Καὶ οἱ πρὸ τῶν Χριστοῦ παθῶν μαρτυρήσαντες, τί ποτε δράσειν ἔμελλον μετὰ Χριστὸν διωκόμενοι, καὶ τὸν ἐκείνου ὑπὲρ ἡμῶν μιμούμενοι θάνατον ; Οἱ γὰρ χωρὶς ὑποδείγματος τοιούτου τοσοῦτοι τὴν ἀρετήν, πῶς οὐκ ἂν ὤφθησαν γενναιότεροι μετὰ τοῦ ὑποδείγματος κινδυνεύοντες ; — 2, 5 sq. Cfr. Jud. 11, 39 sq. : *Ex-*

inde mos increbuit in Israel et consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiae Israel et plangant filiam Jephte Galaditae diebus quatuor. — 3, 3. Cfr. Esth. 9, 31 sq. —

CXXVII. — B, fol. 96. b. — **Lectiones variantes** : 3, 3, vile magis femina, B. — **Adnotanda**: Huic hymno una stropha deesse videtur, tum quia praecedentes quaternis omnes strophis absolvuntur, tum quia in fine doxologia: *Ipsi decus*, etc. desideratur. — 1, 1. Nostra tempora sextam aetatem mundi seu, quae post Christum natum fluxerunt, saecula intelligit auctor, quamvis quas enumerat feminae, Anna scilicet, seu prophetissa (Luc. 2, 36) seu mater Mariae virginis, et Elisabeth Zachariae vix inter novi testamenti feminas adnumeraveris. — 2, 1 sq. Maria Magdalena corporaliter unxit Christum, regem et sacerdotem ; illa quippe unctio, ob quam Jesus a Nazareth antonomastice vocatur Christus, spiritualis imo divina erat, de qua satis supra ad hymnum XLV p. 166. sq. Hinc in pulcherrimis hymnis de sancta Magdalena (Mone III, 417 sqq.) legimus :

In praedulci unctione
nardum ferens pisticum
Et unguenti fusione
typum gessit mysticum.

CXXVIII. — B, fol. 96 b; C, fol. 163 a. — **Lectiones variantes** : 1, 1 sq. In Codice Bruxellensi non nisi duo primi carminis versus reperiuntur ; cetera desiderantur. — 3, 2. Desunt duae syllabae, ut suus versui syllabarum numerus sit integer ; forte verbum *adest*, quod uncis inclusi, forte *tantum* vel simile quid. — 3, 3, hic est membra, C ; legendum absque ulla haesitatione *umbra*.

Adnotanda : 1, 1. Haec ad Lucae verba (7, 37) : *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix* « alludunt ; unde in « cantione devota de S. Maria Magdalena » poeta quidam Bohemus :

Te Lucas peccatricem
Sed ergo amatricem
Virtutum judico.

Cfr. Analecta hymnica I (cantiones Bohemicae) p. 108. — 2, 1 sqq. Cfr. Ps. 50, 18. — 4, 1. Cfr. Ps. 19, 4. — 4, 2. Cfr. 65, 15. — 4, 3. Cfr. Sap. 4, 13.

CXXIX. — C, fol. 165 a. — **Lectiones variantes**: 3, 5. Et collatis, C. — **Adnotanda** : 3, 1. Pulchre Godeschalkus in sequentia *Laus tibi Christe* (Mone III, 415 sqq.) :

Peccator contemnit compeccantem,
peccati nescius poenitentem
exaudis, emundas.

4, 1. Marc. 16,9 : *Surgens autem mane prima Sabbati apparuit primo Mariae Magdalenae, de qua ejecerat septem daemonia.* Cfr. Luc. 8, 2. — 4, 2. Quanti fides; dixit enim ad mulierem Dominus : *Fides tua te salvam fecit* (Luc. 7, 50); quanti sit dilectio ; ait enim : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (Luc. 7, 47).

CXXX. — C, fol. 198 b. **Adnotanda** : Hymni de festivitate omnium sanctorum sequenti metro ligantur :

— — — — ⊥ — ∟ | ⊥ — ∟*a*
— — — — ⊥ — ∟ | ⊥ — ∟*a*
— — — — ⊥ — ∟ | ⊥ — ∟*a*

3, 2. Christus ut caput omnium justorum est, qui per gratiam sanctificantem in ipsum complantati sunt, quemadmodum ait apostolus, ita praecipue caput est sanctorum et ecclesiae triumphantis : « Omnes qui ab initio saeculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum crediderunt, quem nos venisse jam credimus, et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos, ut esset et ipse totius caput civitatis Jerusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque ad finem, adjunctis etiam legionibus et exercitibus angelorum, ut fiat illa una civitas sub uno rege et una quaedam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace et salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine ». August. Enarr. in Ps. 56. serm. 3. n. 4.

CXXXI.— C, fol. 198 b.— **Lectiones variantes** : 1, 2. Tam martyrum quam, C. — 2, 2. Sic te pellant, C. — **Adnotanda** : 1, 1, Confer illud hymni Venantio Fortunato hinc inde adscripti :

Intrent ut astra flebiles
Coeli fenestra facta es.
Tu regis alti janua
Et porta lucis fulgida.

3, 1 Cfr. Heb. 1, 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* Unde S. Augustinus : « Angeli, inquit, beati sunt et de tanta beatitudine, quia in illa sunt civitate Jerusalem coelesti, unde nos modo peregrinamur, attendunt nos peregrinos et miserantur nos, et jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus et ibi cum illis fonte dominico veritatis et aeternitatis aliquando saturemur ». Enarr. in Ps. 62, n. 6.

CXXXII. — C, fol. 199 a. — **Adnotanda** : 2, 1 sqq. De Johanne Baptista sermo est, cujus encomia celebrantem jam supra audivimus Paulum Diaconum haec verba proferrentem : *praepotens martyr... maxime vatum.* Tamquam prophetarum enim clausula ad vetus, tamquam Messiae praecursor ad novum testamentum pertinere videtur. Unde Augustinus (serm. 393, 2): « videtur Johannes, inquit, interjectus quidam limes testamentorum duorum veteris et novi. Nam eum esse quodammodo limitem, Dominus ipse testatur dicens : *lex et prophetae usque ad Johannem baptistam* (Luc. 16, 16). Sustinet ergo personam vetustatis et praeconium novitatis. Propter personam vetustatis de senibus nascitur, propter praeconium novitatis in viscèribus matris propheta declaratur ». — 3, 1 sqq. Eadem iterum distinctio ducum, equitum, peditum, quam supra vidimus, recurrit, qui sunt apostoli, martyres, confessores.

CXXXIII. — C, fol. 199 a. **Lectiones variantes** : 2, 1. Hunc plèbs, C. — 2, 3. Deest unius syllabae vocula, quam *in* esse putamus. — 5, 3, protegat domine, C. — **Adnotanda**: 1, 1 sqq. Historia quae fuerit festi, Abaelardus paucis attingit. Dedicato enim Pantheon beatae Mariae et sanctis martyribus, paulatim festus omnium sanctorum dies ab urbe incipiens per totum orbem christianum migravit. — 4, 2. Cfr. Augustini verba (cont. Faustum 20, 21) : « Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat et ad excitandam imitationem et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur ; ita tamen ut nulli martyrum sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria ».

ELENCHUS

MENDORUM QUORUNDAM TYPOGRAPHI.

Pag.	1	lin.	18	corr. *recentioribus.*
»	5	»	5	corr. *Gautier.*
»	27	»	15	sq. corr. *peccatorum.*
»	33	ver.	2,3	corr. *inferius.*
»	42	»	3,3	corr. *invisibilem.*
»	56	»	3,2	corr. cum *hac.*
»	64	lin.	37	corr. γενέσθαι.
»	64	»	37	corr ἐβουλήθη.
»	66	»	30	corr. ἑαυτοῦ.
»	66	»	33	corr. τὴν.
»	66	»	38	corr. Τοιοῦτόν.
»	70	»	2	corr. *Physiologus.*
»	71	»	8	corr. *vestigiis.*
»	81	»	29	corr. *succincte.*
»	82	»	31	supple *Adnotanda.*
»	86	»	18	corr. *jumenta.*
»	93	»	12	corr. *egent.*
»	135	ver.	2,7	corr. *tuo.*
»	136	»	4,7	corr. *tuo.*
»	149	ver.	4,2	corr. *Semper hic custodia.*
»	154	lin.	27	corr. *desumpti* sunt.
»	160	»	33	corr. *specimen.*
»	227	ver.	1,2	corr. *audita.*
»	232	»	6,1	corr. *quos compellit.*
»	232	»	7,3	corr. *cupiunt.*
»	233	»	7,4	corr. *inchoant.*
»	245	»	1,6	corr. *confundit.*
»	255	»	2,2	corr. *Quos.*
»	255	»	3,2	corr. *Ad* te.

En tibi, lector benevole, pauca ex multis menda, de quibus monere te licuit, priusquam ultima prelo folia subjicerentur. Non attigi omnia, ea praesertim, quae in verbis dirimendis sententiisque discernendis errata sunt, quae ut evitarentur, per me certe non stetit. Facili ipse negotio corriges, quae, ut a typographis rite corrigerentur, equidem obtinere non potui.

INDEX HYMNORUM

Imprimerie de l'Ouest, A. NEZAN, Mayenne.



